» Nos è contra taxum immerito in crimen adductum fufpicamur: fiquidem Lobell. ejus baccas innoxie puerulos in Anglia » efitare affirmat, feque guftaffe fub hyemem non ingrato fapore, » fed fatuo, vel fubamaro, ibique porcos paffim eas tanquam glan- » des comeffe. Gerardus etiam noftras tum femetipfum tum pluri- » mos è condifcipulis fuis eas ad fatietatem ufque fæpius ingeffiffe » narrat, nec fub umbra tantùm arboris, fed in ejus ramis aliquo- » ties dormiviffe, nec tamen minimum inde nocumentum aut in- » commodum unquam fenfiffe. *Rai. tom.* 2, *p.* 1416 ».

TEDA. C'eft le *pinus fylveftris montana tertia*, C. B. *Pinus cui officula fragili putamine, five cembro*, J. B.

Ce font les fruits de cet arbre que Pline appelle *nuces Tarentinæ.* Cependant J. Bodæus prétend qu'il n'y a point d'arbre de ce nom, & que par le *mot tæda*, il faut entendre une maladie commune aux arbres réfiniferes (1).

TELEPHIUM. Cette plante, felon le plus grand nombre d'Auteurs, eft l'*anacampferos;* mais, felon Fabius Colomna, le vrai *telephium* de Diofcoride & de Pline, eft le *capparis portulacæ folio*, C. B. *Fabago belgarum*, Dalech.

TEUCRIUM. Dalechamp (2) prétend que la plante que Pline décrit d'abord fous ce nom, & qu'il nomme encore *hermionion*, eft l'*hemionitis* de Diofcoride; mais Mathiole (3), qui avoit penfé de même, ainfi que Ruelle & Hermolaüs, dit que le *teucrium* de Pline eft le même que celui de Diofcoride, attendu qu'il a trouvé dans un exemplaire de Pline mieux corrigé, *hermiōn*, au lieu d'*hermionion;* ce qui l'a fait changer d'opinion.

THALICTRUM. Dalechamp penfe que c'eft le *thalictrum* de Diofcoride, qui, felon lui, eft le *nafturtium fylveftre tenuiffime*

---

(1) Tæda, de qua nobis fermo, *p.* 169. pini ac coniferarum morbus, neutiquam arbor, ut Plinius tradit. *J. Bod.*

(2) Dalech. tome 2, p. 65.

(3) Com. Math. p. 500.

divisum, C. B. *Sophia Chirurgorum ;* mais J. Bauhin est de sentiment contraire. Ruelle pense que c'est l'*argentina ;* mais il n'y a pas d'apparence ; car ses feuilles ne ressemblent point du tout à la coriandre, non plus que ses tiges à celles de la rue ; car il y a ainsi dans Dioscoride & Galien ; au lieu que Pline dit comme celles du pavot. Il faut, comme le dit Dalechamp, qu'il ait lu *meconos* au lieu de *piganos.*

THELYGONUM. Cette plante, que Dalechamp nomme *phyllon theligon*, est le *cotyledon media foliis subrotundis*, C. B.

THELYPHONUM. C'est, selon Dalechamp, l'*aconitum pardalianches.*

THERIONARCA. Dalechamp pense que cette plante est celle qu'il appelle *linaria rubra*, qui est la *lysimachia chamænerion dicta, angustifolia*, C. B.

THESION. C'est, selon le même Dalechamp, l'*endivia*, Tragi. *Lactuca foliis endiviæ*, C. B.

THYA ou THUYA. Selon quelques Auteurs, entre autres Anguillara, le *thuya* & le cedre Atlantique (1) sont une même chose, quoique Pline en parle séparément. D'autres, au rapport de Bellonius, veulent que le *thuya* de Théophraste soit le *cedrus*

(1) Cedrus atlantica, non mihi videtur alia quam thuia, vel thia, quamvis in diversis capitibus de iis scripserit Plinius : ille enim plantas non cognovit, sed ex diversis libris sua concinnavit. In Plinio de thya error ab eo commissus, vel textus corruptus : dicit enim Homero notam arborem trogeren quæ aliis dicitur thya, quod falsum, siquidem Homerus non meminit trogetes (nec id dicit Plinius) sed thyæ. Dicit prætereа Homerum intellexisse cedrum & laricem, quod etiam falsum. *J. B. t. 1, part. 2, p.* 285.

Ejusdem opinionis cum Anguillara est Mathiolus, dicens in Dioscor. cum magnis figuris : sunt qui dicant, & recte quidem cedrum atlanticam à thuya sive thya de qua Theoph. nihil differre. Quamobrem Plinium redarguunt, quod simul ac de cedro atlantica disseruit, illico caput proprium de thuya scripserit, tanquam de arbore diversa ; verum longe aliter se habet sententia nostra : nam diligenter Plinii lectionem enucleantibus palam apertissime fit, thuyam Plinio nil aliud designare quam atlanticam cedrum.

Lycia.

Lycia. Cedrum lyciam plerique teſte Bellonio, thuyam Theophraſti exiſtimant. J. B. tom. 1, part. 2, p. 285.

Dalechamp & J. Bauhin prétendent que Pline ſe rrompe lorſqu'il dit : *Inter odores uri in deliciis Circes*, puiſqu'Homere dit que c'eſt Calypſo, *fallitur Plinius ; de Calypſo non de Circe, id Homerus ſcripſit.* Dal. Not. in Plin. p. 327. *Non apud Circen, ſed apud Calypſo factum legas in quinto Ulyſſeæ.* J. B. tom. 1, parr. 2, p. 285. *Inſignis memoriæ lapſus, nam inter odores Circe non urebat citrum cedrumque ſed Calypſo, cujus antrum, ut canit Homerus, 5 Odyſſ. Mercurius Jovis mandato cum petiiſſet, factum ut thyæ, ſeu citri, cedrique odorem longe perſentiret.* J. Bod. Not. in Theoph. p. 523.

La ſeconde eſpece de *thuya* dont parle Pline, eſt ſelon Dalechamp, *citria, ſive malus Aſſyria, poma Adami, quæ Gallis poncires*, Cluſii.

THYMELÆA. Dalechamp dit qu'il y a un mot à corriger dans Pline, dans le paſſage où il y a, *myrti magnitudine, ſemine, colore & ſpecie farris*, au lieu de quoi il faut mettre *foris.* Il faut de même, au chapitre 9 du livre 27, au lieu de *ſiſtit alvum*, qu'il y ait *ciet alvum.*

THYMUM. Il y a un paſſage à rectifier au chapitre 10 du livre 21 : c'eſt où où il y a, *ergo tranſlatum eſt, &c.* ; au lieu de quoi il faut lire, ſuivanr J. Bodæus : *Ergo tranſlatum eſt ex Attica thymum, & vixit flore, uti docemur ſatum. Sed alia ratio naturæ obſiſtit, non durante Attico thymo in afflatu maris.* J. Bod. Not. in Theoph. p. 570. Quelques Auteurs aſſurent que ce que Pline avance dans la ſuite de ce paſſage, eſt faux.

Pline fait mal-à-propos deux eſpeces de thym, puiſque, ſelon Dalechamp, Dioſcoride & Théophraſte n'en décrivent qu'une : » Plinius ſuo judicio, & non veterum ſcriptorum, hæc ſtatuit. » Dioſcoridi & Theophraſto, unicum eſt thymi genus, foliis al- » bis, quod in capirulo florem habet, nigrum verò zygis eſt. In- » conſiderate Plinius ejus thymi florem nigrum eſſe putat, quod » nigrum à Græcis vocari præcipue à Theophraſto, legerat. Flos

» quidem in eo genere thymi subpurpureus est. *Dal. Not. in* » *Plin. p.* 554.

» Falsum, inquiunt viri maximi, quod hìc asserit Plinius, hanc » fuisse opinionem antiquam de omni thymo, non vivere nisi in » afflatu maris. De Attico thymo & Græco hoc tantùm prodidit » Theophrastus, quod capitatum esse constat : at thymum illud » quo referti sunt campi Narbonensis Provinciæ, aliud à Græco » & capitato, in nostra Gallia (etiam Batavia) passim conspi- » citur sponte nascens, & in hortis sativum. *J. Bod. Not. in* » *Theoph. p.* 570 ».

THYSSELINUM. C'est, selon Dalechamp & C. Bauhin, l'*apium sylvestre lacteo succo turgens*, C. B.

THLASPI. Le premier *thlaspi* de Pline, est aussi le premier de Mathiole, selon Dalechamp; & le *thlaspi arvense vaccariæ incano folio majus*, C. B.

Le second, *sinapi Persicum*, est, selon Lobel, J. & C. Bauhin, le *rhaphanus rusticanus*. Mais J. Bodæus n'est point de ce sentiment (1).

THRYALLYS. C'est le *verbascum lychnitis*, *flore albo parvo*, C. B.

THUS. Pline, parlant de l'encens, dit qu'il n'étoit point en usage devant la ruine de Troye, ce qui est faux, selon J. Bodæus (2), qui, pour preuve, allegue un passage du Lévitique, chap. 11, vers. prem. & dernier.

TILIA. Pline, qui semble avoir pris de Théophraste ce qu'il dit du tilleul, n'est cependant pas entiérement d'accord avec

(1) Ego nullam thlaspios figuram, ideam, aut formam, in raphano rusticano observare possum, nec imaginari possum, quo nomine thlaspi diceretur. Sinapios simile, semen fert, non thlaspios. Foliis etiam est amplis lepidii, aut piperitidis majoribus, radicibusque constat satis magnis. Sed semine hujus ischiaticos curatos nec vidi, nec legi. Adeo raro fert semen, ut Petrus Crescentius scripserit, semen nullum producere. *J. Bod. p.* 768.

(2) Falsum & præter veritatem videtur quod Plinius scribit, ante Trojæ excidium thure non sacrificatum; contrarium sacra docet pagina. *J. Bod. p.* 976.

lui (1); car il dit, parlant du mâle : *Materies ejus, dura, russiorque ac nodosa, & odoratior;* au lieu que Théophraste dit : *Materies mari dura, flava nodosior spissiorque.* Il paroît aussi, au sentiment de Dalechamp, que Pline a confondu & pris le *phylyra* de Théophraste pour la *phyllyrea* de Dioscoride; premiérement en ce qu'il dit que c'est un petit arbre, *proceritate perquam modica*, au lieu que le tilleul vient fort haut. Secondement il dit que l'écorce du mâle est plus odorante que celle de la femelle; au lieu que Théophraste dit le contraire : *Item fœminæ odoratior cortex;* mais il y a en marge : *Item maris materies odoratior quam fæminæ;* ce qui peut encore faire croire qu'il a confondu le tilleul avec la *phyllyrea*, c'est qu'il dit que son bois n'est point sujet à être piqué des vers, *materies teredinem non sentit;* ce qui ne peut convenir qu'au bois de la *phyllyrea;* car celui du tilleul y est fort sujet.

Dalechamp dit que Pline attribue au tilleul toutes les vertus que Dioscoride a attribuées à la *phyllyrea.* Il se contredit lui-même; car tantôt il dit que le tilleul est très chaud, *calidissima;* & tantôt très froid, *frigidissima.*

TIPHE. C'est le *triticum thyphinum, sive typha cerealis multiplici folliculo*, C. B.

TIPHYON. J. Bodæus (2) dit que certe plante, dont parle aussi Théophraste, est le *narcissus persicus Clusii. Colchicum melino flore*, C. B.

TITHYMALUS. Pline est assez conforme à Dioscoride dans la description des especes de tithymale, excepté que ce dernier dit que le *characias* est appellé *cobion;* au lieu que Pline dit que c'est le *dendroides.* Dioscoride nomme encore le *characias, amygdaloides;*

(1) Confundit Plinius phyllyream & phylyram, quod ex cap. 8, lib. 24, probatur : ubi tiliæ vires attribuit, quibus pollere phyllyream auctor est Dioscor. *J. Bod. Not. in Theop. p.* 180.

(2) Pro ἰφυον apud Plinium τίφυον legitur. Male ergo Plinius tiphyon æstate florere dixit, cùm iphyon æstate floreat. Sed mendum forte typographi. Iphyam lavendulam esse dicit. *J. Bod. Not. in Theoph. p.* 669.

& Pline, le *platiphyllum*. Comme il paroît que Pline a suivi Dioscoride, à quelque chose près, il semble qu'on peut se fixer sur les especes de ce dernier.

Le *tithymalus characias*, est le *characias rubens peregrinus*, C. B.

Le 2e est le *myrsinites latifolius.*

Le 3e est le *maritimus.*

Le 4e est l'*helioscopius.*

Le 5e est le *cyparissias.*

Le 6e est le *sylvaticus lunato flore.*

Le 7e est le *tithymalus, sive esula exigua.*

TORDYLON ou TORDYLION. C'est le *seseli Creticum.* Dalechamp trouve qu'il y a quelques passages à corriger dans Pline, au chap. 22 du livre 20, où il y a, *& in quacunque corporis ex alto vitia extrahenda sunt* (1), il faut lire, *& in quacunque corporis parte, &c.* Et plus bas, où il y a, *vel se vehementior urigo timeatur, per duplices pannos.* Il faut qu'il y ait, *vel si vehementior urigo timeatur inter duplicatum pannum.*

Le même Auteur dit que Pline a tort de dire qu'il sort des tiges de cette plante un suc laiteux (2), puisque cela est faux.

J. Bodæus, selon le sentiment de quelques Auteurs, corrige aussi un passage de Pline au chap. 5 du livre 20, où il y a, *contexemus & de seli : sed hoc est vulgaris notitiæ;* au lieu de quoi il faut lire : *Contexunt & de seseli, hoc est vulgatæ notitiæ* (3).

Le même Auteur réfute un autre passage, comme faux, au chap. 22 du livre 20, où Pline dit : *Adjicitur tordylion, est autem id semen ex seseli.*

TRAGI. C'est une espece d'éponge qui, selon toute apparence, est la *spongia hircina* Imperat.

TRAGION ou TRAGON. Sous ce nom Pline décrit fort

(1) J. B. t. 3, part. 2, p. 84.

(2) Falsum hoc; non enim planta hæc lacteum succum fundit. *Dal. Not. in Plin. p.* 530.

(3) Hoc falsum est. Dioscorides seseli creticum sic vocari scribit, quod Æginera & alii asserunt. *J. Bod. Not. in Theop. p.* 1125.

confusément plusieurs plantes. La premiere, qu'il décrit différemment dans deux endroits. D'abord, au livre 13, chap. 21, il dit : *Tragion fruticem sola Creta insula gignit, terebintho similem & semine.* Ensuite, au chapitre 13 du livre 27, il dit : *Tragonis, sive tragion nascitur in Creta tantùm insulæ maritimis, junipero similis & semine, & folio & ramis;* ce qui sembleroit faire deux plantes différentes. Mais comme il y a beaucoup de rapport entre elles en différentes choses, comme de croître dans la seule isle de Crete, d'être bonnes pour guérir les blessures faites par des fleches ; on seroit porté à croire que ce n'est qu'une même plante. Il y a toute apparence que l'espece qu'il dit avoir les feuilles comme le térébinthe, est l'*androsæmum fœtidum capitulis longissimis filamentis donatis*, C. B.

L'autre espece, qu'il surnomme *scorpio*, est, selon Dalechamp, le *scorpius maritimus; polygonum bacciferum maritimum minus*, C. B.

TRAGOS. C'est, selon quelques Auteurs, le *zeocriton, seu oryza Germanica*, C. B.

Cependant Dalechamp dit qu'il vaut mieux entendre sous ce nom une chose artificielle qu'une naturelle; il en donne pour preuve deux passages, l'un de Galien, & l'autre d'Hippocrate. Voici comme en parle le premier : » Des plus beaux grains de » l'*olyra*, bien nettoyés, on en fait du *tragus* (1), dont plusieurs » usent, le faisant d'abord cuire en eau, qu'ils renversent après, » & y mettent du vin cuit ou du vin doux ». Pline en convient lui-même au chapitre 7 du livre 18, où il dit : » Simili modò ex » tritici semine tragum fit, in Campania duntaxat & Ægypto ». Hippocrate dit : » Trygis, id est, Tragus, sive olyra, levior est

(1) Tragos nunc fruges est, halicæ similis Dioscoridi : vulgo *bled turquet :* nunc olyræ ptisana Galeno lib. de alimentis : nunc zeæ ptisana, id est halica Galeno Comment. librorum de ratione victûs in acutis. Ptisanam, inquit, recte præferunt frumentaceis eduliis pani, chondro & zeæ, ex qua fit tragos. Hic tragos ptisana est triticea. Cassianus in Geoponicis cap. 13, lib. 3. tragum conficit ex Alexandrino frumento & olyra. *Dal. Not. in Plin. p.* 446.

» tritico & quæ ex ipsa fiunt, similiter ut ea quæ ex tritico pa-
» rantur & magis per alvum secedunt ».

Raius est du sentiment de Dalechamp, & dit : » Tragus est res
» factitia, fiebat autem ex diversis frumentorum generibus, ut ex
» Dioscoridis, Galeni, Plinii locis, ubi de eo agunt inter se colla-
» tis, patet. A chondro & alica præparatione potissimum differt.
» Chondrum siquidem gypsum & arena perficiunt ; alicam Creta
» emundat, tragus sola aqua maceratus excorticatur ».

TRIBULUS. Des deux especes que Pline décrit, la premiere, qui, selon lui, croît dans les jardins, est le *tribulus terrestris ciceris folio* (1), *fructu aculeata*, C. B.

La seconde est le *tribulus aquaticus*. Pline, parlant de ce dernier, dit qu'il a les feuilles comme celles de l'orme, *folio ad effigiem ulmi;* au lieu que Dioscoride dit seulement qu'il a les feuilles larges, *lato folio*. Pline a sans doute lu πτελέας au lieu de πλατείας.

TRICHOMANES. Dalechamp dit que Pline prend le *trichomanes* pour la seconde espece d'*adiantum*, qui est le blanc ; ce que l'on peut voir par ce passage, où il dit : *Trichomanes adianto similis est* (2) ; ce qui est faux.

VACCINIUM. Le *vaccinium* de Pline, est, selon Dalechamp, le *ceraso affinis* (3), C. B. *Cerasus sylvestris*, Trag. qu'il a confondu avec l'hyacinthe (4) : *An Plinii vaccinium, ut nonnulli*

---

(1) Male hinc audit Plinius. Notandum inquiunt viri magni, Dioscoridem scripsisse hanc plantam esse lato folio, non ulmi : ut Plinius πτελέας legisse videatur pro πλατείας. Ita Diosc. scripsisse fatemur, foliis latis è pediculo longo prodeuntibus. *J. Bod. Not. in Theop. p.* 445.

Tribulorum historiam confundit Plinius. *Idem. p.* 640.

(2) Plinius adianti & trichomanis historiam confundit. *J. Bod. Not. in Theop. p.* 882.

(3) Plinius certe vaccinium arbusculam perperam loco citato hyacinthum reddit, eamque inepte cum hyacintha bulbosa herba confundit. *Dal. Not. in Plin. p.* 382. *lett. I.*

(4) Plinius inepte hîc appellat hyacinthum arborem quam cap. 18, l. 16. vaccinium nominavit, è cujus fructus purpura tingitur. *Dal. Not. in Plin. p.* 556.

existimant, omnino incertum est, neque ex eorum verbis utrumlibet colligi aut concludi potest. Rai. tom. 2, p. 1549.

VINCA PERVINCA. J. Bauhin prétend que Pline a confondu cette plante avec la *chamædaphne*, qui est la laureole. Dioscoride nomme celle-ci *daphnoides* (1), & non *chamædaphne*.

VIOLA. Pline semble ici comprendre sous un meme genre de plantes les giroflées & les violettes, qui, selon lui, ne different des premieres que par le nom *ia* que les Grecs lui ont donné; cependant il y a une différence totale, si on prend les *leucoium* pour les especes qu'il nomme *luteæ & albæ*, ainsi que l'ont pensé plusieurs Auteurs; aussi J. Bauhin dit-il: » Admonendi sunt qui » hæc legunt, purpureas violas, duorum generum haberi: alias » inter loripedes, sive sessiles, alias inter leucoia, odorarasque » omnes esse; sed & candidarum quoque gemina hæc discrimina » cernuntur: aliæ loripedes, aliæ leucoia. Leucoia intelligo, » quas Mauritania Cheiri appellat. Loripedes, quæ vulgo Claudæ » nominantur, & Maurice Semphigi. *J. Bod. tom.* 3, *part.* 2, » *p.* 542 ».

J. Bodæus dit que Pline, qui a pris de Théophraste une partie de ce qu'il dit de ces plantes, a mal traduit ce passage: » Ex iis » verò, quæ sponte apricis & macris locis proveniunt, purpuræ, » latiore folio statim ab radice carnosa exeunt, solæque Græco » nomine à cæteris discernunrur, appellata *ia*, ut ab his ianthina » vestis ». Voici comme ce premier rend ce passage: » Viola » nigra ab alba differt, & per alia, & per ipsam specien, seu » formam violæ, quod latis foliis, & carnosis, & humi stratis » est, multam habens radicem ». Il faut donc, au lieu de *latiore folio, statim ab radice carnosa exeunt*, lire, *latiore folio & carnoso, statim ab radice exeunt*; parceque ni l'une ni l'autre n'a la racine charnue: elles ont d'ailleurs assez de différence entre elles

(1) Vincam pervincam nos quidem apud Dioscoridem etiam daphnoides vocari legimus, sed non chamædaphnen. Fallitur hic Plinius. *Dalec. Not. in Plin. p.* 556.

qui les distingue, sans dire qu'elles sont seulement distinguées par le seul mot Grec. J. Bodæus ne met cependant pas absolument cette faute sur Pline; il dit que ce pourroit être son Affranchi qui lui eût mal lu le passage de Théophraste. Il y a toute apparence, en conciliant les sentiments des Auteurs, que les especes de violettes que Pline nomme *purpuræ, lutæ & albæ*, sont les especes de *leucoium*, quoiqu'il se trouve quelques sentiments différents; car il y a quelques Auteurs qui prétendent que la *viola alba Plinii* est le *leucoium bulbosum vulgare*, C. B. *Leucoium Theophrasti*. Il y a même quelque raison de le croire; car Pline, & après lui, Ruelle dit : *Viola alba ver nuntiat*. Cette plante effectivement fleurit de très bonne heure, même pendant les gelées. Théophraste dit : *Etiam nondum hyeme exactâ, ubi cælum clementius est; ubi verò immitius, postea*.

J. Bodæus, dans ses Commentaires sur Théophraste, p. *696*; dit, *de violarum generibus hæc tradit Plinius : Violis honos proximus; earum plura genera, purpureæ luteæ, albæ (hæc de frutice leucoio accipi debent; bulbosum enim has non agnoscit differentias)*.

Suivant ce dernier sentiment, qui est aussi celui de Dalechamp, ces plantes seront, *leucoium purpureum, vel rubrum*, C. B., *seu viola purpurea*, Tragi. L'autre, *leucoium luteum vulgare*, C. B. *Viola lutea*, Tragi : *sive* keiri. La troisieme, *leucoium incanum majus*, C. B. *Viola candida*, Tragi. Quant à la *viola marina*, Dalechamp nomme ainsi l'*hesperis hortensis*; mais ce ne peut être celle dont Pline parle, puisqu'il la mêle parmi celles qui ont la fleur jaune, & que celle-ci a la fleur blanche ou purpurine : ainsi ce pourroit bien être le *leucoium incanum siliquis rotundis*, C. B. *Leucoium marinum luteum majus*, Tabern. La *calathiana* est, selon quelques Auteurs, la *gentiana palustris angustifolia*; mais ses fleurs sont encore pourpres.

Dalechamp, dans ses notes sur Pline, dit qu'il pense que c'est la *digitalis lutea magno flore*, C. B. La *flammea* est, selon le plus grand nombre d'Auteurs, la *viola tricolor hortensis repens an phlox, vel phlogion Theophrasti*.

VIRGA

VIRGA SANGUINEA. C'eſt le *cornus fœmina*, C. B. *Thelycrania Theophraſti, vel pſeudocrania.* Quelques Auteurs penſent que c'eſt ſon *tetragonia* qui eſt l'*evonimus vulgaris granis rubentibus*, C. B.

VISCUM. Pline, ainſi que Théophraſte, paroiſſent établir trois eſpeces de gui, qui, ſuivant le ſentiment de preſque tous les Auteurs modernes, n'en font qu'une; car, comme dit Raius (1): « Si res diſtinctæ ſunt, cur à tot ſæculis, à tot poſt Theophraſtum auctoribus, non ab aliquo declaratæ? Mirum tandiu curioſos Botanicorum oculos latuiſſe, & diligentiſſima ſcrutinia eluſiſſe ». Il n'approuve pas même la diſtinction qu'on en fait par la différence des arbres où il croît: effectivement ſi on admettoit cette diſtinction, il ſe trouveroit autant d'eſpeces de gui, qu'il y auroit de différents arbres ſur leſquels il croîtroit, & ce ſeroit tomber dans l'erreur de Pline. Ce qu'il ajoute, que le gui perd ſes feuilles lorſqu'il croît ſur des arbres qui ſont dans ce cas, eſt faux; car on voit tous les jours le contraire ſur le chêne, le *meſpilus apii folio*, & pluſieurs autres arbres qui ſe dépouillent de leurs feuilles, ſur leſquels on voit le gui muni des ſiennes, & même de ſes baies. Quant à la diſtinction du mâle & de la femelle, il ne s'accorde pas avec lui-même; car il dit que le mâle eſt fertile, & la femelle ſtérile; & il ajoute qu'elle ne porte pas, quelquefois, *aliquando non fert.* Si quelquefois elle ne porte pas, elle porte donc auſſi quelquefois; ce qui eſt conſéquent. Dalechamp dit qu'il faut lire, *aliquando verò fert;* ce qui revient toujours au même; car ſi elle porte quelquefois, elle n'eſt donc pas ſtérile. Quant à ce qui concerne la reproduction du gui, Pline, Ariſtote, Théophraſte, & preſque tous les anciens Auteurs penſent qu'elle ſe fait par le moyen de la ſemence, après qu'elle a paſſé par l'eſtomac des grives & des pigeons ramiers, ou d'autres oiſeaux de cette eſpece, qui, après avoir ſeulement digéré la pulpe ou enveloppe, dépoſent ſur les arbres la ſemence,

(1) Raius, tome 2, p. 1583. J. B. tome 1, part. 2, p. 90.

qui, par ce moyen, eſt rendue fertile. Mais preſque tous les Auteurs modernes ſont de ſentiment contraire, ſur-tout Jules Scaliger, &, après lui, J. Bauhin. Comment, diſent ces Auteurs, cette ſemence peut-elle s'attacher à des branches foibles & droites, ſur leſquelles les oiſeaux peuvent à peine ſe repoſer, &. qui ſont continuellement agitées par les vents, & mouillées par les pluies? comment peut-elle s'attacher ſur des arbres dont le bois eſt ſi dur (1), en diviſer l'écorce, &, ſans aucune racine, devenir une même choſe avec eux? Voici comment Scaliger prétend que ſe produit le gui (2). « Il eſt formé, dit-il, au commencement par la chaleur intérieure du ſuc qui lui eſt analogue, &, aidé par la chaleur extérieure qui l'attire à ſoi, s'engendre & croît en forme de plante, comme les cornes ſortent des os des animaux ».

VITIS. Il eſt fort inutile de détailler les eſpeces de vigne (3), dont la plus grande partie n'a rien de différent que la groſſeur, la couleur & même le goût du fruit, qui ſont encore ſujets à varier, ſuivant le climat & le terroir où croît la vigne; il n'y a guere que celle qui eſt appellée en François *aſcioutat*, qui differe ſeulement par ſes feuilles, qui ſont profondément découpées; car le fruit, par rapport à ſa forme & à ſon goût, eſt ſemblable au Chaſſelas. J. Bauhin l'appelle *vitis folio apii*, & penſe que c'eſt l'eſpece que Pline appelle *precia*.

Il y a cependant quelques Auteurs qui prétendent que la *vitis precia* de Pline, eſt la *groſſularia ſimplici acino, vel ſpinoſa ſylveſtris;* & Parkenſon, *vitis laciniatis foliis*. Il y a une autre eſpece dont le raiſin eſt noir, & dont les feuilles ſont cotonneuſes, ſur-tout les nouvelles.

---

(1) Quomodo in duriſſima ligna ſubeat ita, ut ſibi findat corticem ac ſine radice unum cum illis fiat. *J. Scaliger.*

(2) A calore interno informata viſci principia in ſucco ſibi connaturali: ab externo adjuta, atque evocata concreviſſe, atque in plantam hanc adoleviſſe quaſi cornua ex oſſibus animalium. *J. Scalig.*

(3) Vitis ſupervacuum eſt genera ejus perſequi, quoniam totidem adfirmantur eſſe quot ſoli, nec poſſet quiſquam, niſi huic rei juſtum ſecretumque volumen dicaret. *Ruellius.*

VITIS ALBA. C'est la *bryonia aspera, sive alba baccis rubris*, C. B.

J. Bauhin (1), parlant des vertus de cette plante, dit que Pline a mal pris le sens de Dioscoride, en disant que la décoction de son fruit faisoit venir beaucoup de lait, *lactis abundantiam facit.* Au lieu que Dioscoride dit, *lac attrahit*, & qu'il faut entendre, par le terme d'*attrahere*, une vertu purgative, ou qui retire le lait des mamelles : *Ex quibus illud quod scribit, Plinius attrahere lac intelligimus purgando, sive retrahendo à mammillis.*

Dodonée, en pareil cas, dit que Pline à tort; car bien loin que cette plante ait la vertu de faire venir du lait, elle en a une toute opposée : *Videtur enim magis lactis adversari generationi, quod acris sit.*

VITIS NIGRA. C'est la *vitis, sive bryonia nigris baccis*, J. B. *Bryonia alba baccis nigris*, C. B.

VITIS SYLVESTRIS. C'est, selon Tragus, Ruelle & Dalechamp, la *clematitis sylvestris latifolia*, C. B.

ULEX. C'est, selon quelques Auteurs, la *genista spinosa major longioribus aculeis*, C. B. Raius prétend que cette plante est la même que la premiere du même C. Bauhin.

ULMUS. Pline, contre le sentiment des anciens Auteurs, décrit quatre especes d'orme, qui, selon Columelle, n'en font que deux ; car l'*Italica* de Pline est le *ptelea* de Théophraste, *vernacula* de Columelle ; le *sylvestris*, est l'*oroptelea* de Théophraste, & l'*attinia, sive Gallica* de Columelle. Solerius est aussi de ce sentiment : *Gallica ulmus & attinia est montana Theophrasti vernacula Italica, nostras & campestris, & Theophrasti ptelea, seu ulmus simpliciter est una & eadem.*

J. Bauhin dit que Pline a mal traduit ce mot κωρύκοις, par *mons Corycus*, qui signifie *folliculi, vel loculi.*

Le même Auteur, ainsi que quelques autres, observent que Pline

(1) J. B. tome 2, p. 145.

a tort de dire que l'orme Attinien (1) ne porte point de semence, puisque le contraire a été observé.

URTICA. Les trois especes d'ortie dont parle Pline, sont ; 1°. *Urtica urens pilulas ferens*, C.B. ; 2°. *urtica urens maxima* ; 3°. celle qu'il appelle *cania*, ou plutôt *canina*, c'est l'*urtica urens minor* ; 4°. L'*Herculanea*, c'est le *lamium maximum sylvaticum fœtidum*, C. B.

XIPHION. C'est le *gladiolus utrinque floridus*, C. B.

---

(1) Ulmi duo genera Gallicum & vernaculum. Illud atrinia, hoc nostras dicitur. *Colum. liv.* 5, *chap.* 6.

Attiniam ulmum Tremellius Scrofa non ferre sameram (quod est semen ejus arboris) falso est opinatus : nam rariorem sine dubio creat, & idcirco plerisque & sterilis videtur, seminibus inter frondem, quam prima germinatione edit, latentibus. *Columell. liv.* 15, *chap* 26.

Κορυκὸς, folliculus in ulmo & terebintho intra quem nascuntur culices & gummi. Inepte Plinius co[illegible]m monrem esse putavit. *Dalech. Not. in Plin. p.* 320.



CRITIQUES
DES ERREURS DE PLINE
EN BOTANIQUE,
PAR LEONICENUS VINCENTINUS.

OBSERVATION PRÉLIMINAIRE

SUR LA CRITIQUE SUIVANTE.

NOUS ne souscrivons point à la totalité des critiques que Leonicenus Vincentinus a faites de la partie botanique & médicinale des Œuvres de Pline; mais après les avoir lues attentivement, nous les avons jugées une suite nécessaire des Commentaires sur le vingt-septieme livre de notre Auteur. Ce qui nous a sur-tout déterminés à donner une nouvelle édition de la Critique de Leonicenus Vincentinus, c'est la considération (indépendamment du mérite réel de ses recherches) que cette savante production est presque ignorée en France, n'ayant été imprimée qu'à Ferrare en 1509, tems ou les éditions n'étoient pas portées à un grand nombre d'exemplaires. Aussi cet Ouvrage est-il aujourd'hui très rare, & d'autant plus curieux. Il ne paroît pas que M. Guettard, Auteur des Notes alphabétiques sur le vingt-septieme livre de Pline, en ait eu connoissance; nouvelle raison d'imprimer cet Ouvrage à la suite des Notes de ce docte Académicien.



AVIS DE L'ANCIEN ÉDITEUR

DE LA CRITIQUE DE LEONICENUS.

LUDOVICUS BONACIOLUS MEDICUS FERRARIENSIS,

STUDIOSIS SALUTEM DICIT.

Quoniam novum Opus Nicolai Leoniceni de Plinii pluriumque aliorum Medicorum in Re medica erratis meo ſumptu ac cura imprimi debet, operæ prætium fore exiſtimavi, ſi ex hoc & altero priore ejuſdem argumenti libello, atque duabus prætereà ipſius Nicolai epiſtolis, altera ad Hermolaum Barbarum Pontificem Aquilegienſem, altera ad Hieronimum Manocium Lucenſem Medicum, unum volumen conficerem eamdem materiam continens, Plinii ſcilicet & juniorum Medicorum in arte medica errores. Neque verò (ſi quis inferis ſenſus eſt), ægrè tulerit Plinius, ſe in ea arte cenſuram ſubire, in qua ipſemet, nullum eſſe mendacio peccatum majus ingenuè fateatur. In qua vel minimum erratum citrà vitæ humanæ detrimentum eſſe nequeat. Cujus utilitatem vel ſuæ gratiæ idem Plinius cenſuit anteponendam.

Quacumque tamen in parte Pliniana ſcripta ad examen rationis perducantur, hoc magis illi ad gloriam quam ad ignominiam puto fore, quando non pauciores defenſores quam & accuſatores obtinuerit, qui immo quem ipſum interdum accuſant, non raro eidem ipſi patrocinentur, ac plures quæ forte ipſius auctoris errores eædem judicarentur, in codicem perperam emendatum rejiciant. Quod ab Leoniceno in hoc ſuo novo opere, quantumvis de Plinii erroribus prætitulato, factitatum perſpicere licet. Quippe

qui non adeo ex professo Plinii errores notare, quantum hos sibi occasionem, longe graviora Barbarorum errata patefaciendi, facere studuerit, quos impensius quam Plinium taxat, ut medicis caveat, omnia quæ Avicenna extraxerit, pro vero recipientibus, & medicinas plerumque salutares illius auctoritate respuentibus, contra noxias pro salutaribus, ita Avicenna suadente, propinantibus. Quod in duabus radicibus, altera pedis corvini, altera pentaphylli posse contingere, immò aliquando contigisse in novo opere Leonicenus insinuat.

Quod si illis displicebit qui barbaram colunt medicinam, illis spero placiturum quos vetus medicina delectat, quam Barbari prorsus depravarunt, Latinorum verò quidam ad garrulas disceptationes protinus transtulerunt. Illis sane non iis sua scripsit Leonicenus, quæ nos imprimenda curavimus, haud nostri quæstûs gratiâ, at juvandæ Mortalitatis causâ, quandoquidem & ætati nostræ circa vera remedia caliganti, & futuræ posteritati non parum conducere posse existimaverimus. Nam & ipsi artem medicam non minus docendo quam medicando profitemur. Valeant.



LETTRE

LETTRE DE POLITIEN
A LEONICENUS,
CONTENANT UNE APOLOGIE DE PLINE.

ANGELUS POLITIANUS, NICOLAO LEONICENO,

SALUTEM DICIT.

Dictata illa tua, Nicolae, quibus Avicennæ refellis inscitiam, docesque medicos juniores quantâ in caligine rerum versentur, nescio plus ne mihi voluptatis an doloris attulerint. Nam & gavisus mirifice sum res eas quibus hominum vita salusque continetur ab eo potissimum viro editas esse in lucem, quem quidem ego semper ingenii disciplinarumque merito plurimi fecerim. Et indolui rursus generis humani vicem, quod in se grassari tamdiu impune tristem hanc ignorantiam patiatur, atque ab his interdum vitæ spem prætio emat, unde mors certissima proficiscatur. Quis enim non videat plus esse à medico quam à morbo periculi, siquidem & morbus alius pro alio curetur, & alia pro aliis remedia afferantur? Quod si te prisca illa, Nicolae, tulisset ætas, in qua pro meritis præmia reddebantur, ne Deorum quidem honoribus caruisses, nisi forte majus esse credimus unum aut alterum, quod Æsculapius fecit, à morte, quam omnes pariter homines, quod ipse facis, à mortis etiam periculo eripere. Quare perge, obsecro, quâ instituisti viâ; scilicet ut una opera & immortalem tibi gloriam parias, & omnibus vere hactenus mortalibus ægris vitam salutemque concilies.

Quod autem Plinium quoque redarguis nostrum, quasi Cisthon pro hedera acceperit, in hoc ego, ut libere agam & amice, longe à te dissentio. Nec autem verebor ejus viri patrocinium suscipere audacter qui fuerit de vita & litteris tam præclare meritus, præsertim adversus te, hoc est adversus eminentem Philosophum

cui nihil veritate ipsâ debeat esse antiquius. De vestris enim sunt illa scholis, amicus Plato, amicitior veritas, & item amici ambo, plus tamen habendum honoris veritati. Plinius igitur, ut quidem tu ais perinde atque Avicenna, Cisthon ab hedera non distinguit errore, siquidem ita sit, maximo, quando cisthos ab hedera plurimum & figura & colore & viribus differat. Addisque mirandum de Plinio magis, quam de Avicenna, quoniam Græcæ linguæ peritus, secernere à cisso,, hoc est ab hederâ, cisthon debuerat. Argumentum affers quamobrem alteram ab altera non separet, quod in libro Naturalis historiæ xvj. hederam dividat in marem, ac fœminam, floremque utriusque similem dicat esse rosæ sylvestri. Tum idem lib. iv. & xx. cisthon quoque illam sub qua nascitur hypocisthis in marem, dividat & fœminam, marique rosaceum semine album tribuat florem; postremo quod etiam cisthi hujus fecisse inter hederas mentionem se dicat. Quocircà sic videris posse colligere, cùm Plinius libro iv. & xx. mentionem se de cistho inter hederas fecisse doceat, cujus tamen vocabulum nusquam superiùs inter hederas citetur. Facilis conjectura est Cisthon ab eo hederæ nomine comprehensam, præsertim qui sic hederam quemadmodum anteà cisthon in marem fœminamque partiatur, & in hederis florem describat. Jam, quoniam quid tibi videatur, exposui; quid ego contra opiner, edisseram. Nego usquam à Plinio inter hederas cisthi mentionem factam, præterquam lib. iv. & xx, ubi illam preclarè distinxit ab hedera. Nam quod tibi sumis, quasi Plinii testimonium, alibi eum de cistho inter hederas locutum, hoc ego non utique concedo. Mihi enim, ubi hoc ait in iv. & xx. scilicet libro, dissererere de cistho ad usque illam tantum clausulam videtur, quæ sic est apud ipsum : sub his maximè nascitur hypocisthis. Post id autem statim interpungitur, ac de integro sic verba incipiunt : quam inter hederas diximus cistos erythranos ab hisdem appellatur similis hederæ.

Nec autem vereor, quæ tua est in litteris elegantia, quin figarum agnoscas cujusmodi apud Ovidium est :

Quam legis à rapta Briseide littera venit.

Et iterum :

> Qua, nisi tu dederis, caritura est ipsa, salutem
> Mittit Amazonio Cressa puella viro.


Quod si illud quam referre ad id malis quod antegreditur, cogeris ad hypocisthida potius (hæc enim statim prior), quam ad cisthon referre. Deque hypocisthide tacet omnino superius hoc est lib. xvj. inter hederas, cùm de erythrano tamen loquatur. Quid, quod nec cisthon alibi usquam nominat inter hederas, nec maris fœminæque discrimen tam cisthi proprium, quam omnium plane arborum, virgultorumque videtur, quod nec idem Plinius dissimulat? Quid, quod flos quoque diversus perhibetur, in hedera quidem maris & fœminæ concolor, in cistho autem plane discolor, nam quod hederaceum sylvestri rosæ comparat, non tam colorem insinuari, quam lanuginem puto, qualis intra rosas est, unde etiam hederæ florem χροώδη *Theophrastus appellaverit. Satis igitur, ut arbitror, apparet nihil esse quod nos fateri cogat Plinium lib. xvi. cisthon inter hederas retulisse, qui tamen ibidem lib. iv. & xx. sic hederæ cisthon quemadmodum & chamæcisson adnexuit; non quod cisthon hederamque esse idem crediderit, sed quod eam Græci vicino (sic enim inquit) vocabulo appellent. Quare ne quemquam similitudo vocabuli falleret, ibi potissimum distinctionem adhibuit, ubi confusionis occasio nascebatur. Nec eo contentus, etiam cisthi proprietates prorsus ab hedera diversas adjecit. Nusquam enim hederam sic ante descripsit, ut aut majorem thymo aut ocymi foliis, aut postremo albo esse flore docuerit. Quamobrem quis jam dubitet secundum Plinium pronunciari oportere, quem ne suspicio quidem ulla istius erroris attingat.*

Illud obiter mirari me fateor, quod ita tibi in mentem venerit ledon herbam, seu tu ladam mavis, unde & ladanum vocetur, Latinam vocem arbitrari, prorsus quam si non & Dioscorides, & alii veteres Græci passim ut patria vernaculaque utantur tam leda *hercule, quam &* ladano. *Hæc habui, mi Nicolae, quæ tibi pro Plinii defensione, verane, an falsa, nescio, sed mihi tamen verisi-*

milia, objicerem; quæ si tibi doctissimo homini probabuntur, lætabor equidem Latinum Auctorem non in eadem esse alea quam Barbaros. Sin minus expecto jam quod ad hæc nostra qualiacumque respondeas. Etenim cùm gravissima sit apud eruditissimum quemque Plinii auctoritas, non tentanda fuit, aut aliquanto fortius quam certe adhuc fecisse videris convellenda. Vale.

Florentiæ die iii. Januarii M. CCCC. LXXXXI (*).

N. B. On voit par cette date que l'Ouvrage de Leonicenus fut composé dans l'année 1491, quoiqu'il n'ait été imprimé à Ferrare que près de vingt ans après, en 1509.





CRITIQUES DES ERREURS DE PLINE EN BOTANIQUE,

PAR LEONICENUS VINCENTINUS.

RÉPONSE DE LEONICENUS A POLITIEN.

Nicolai Leoniceni Vincentini de Plinii & plurium aliorum in medicina erroribus liber, ad doctissimum virum Angelum Politianum.

GAUDEO plurimum, Angele, vir doctissime, studium meum in refellenda inscitia Barbarorum qui de medicina scripserunt, abs te, nunquam satis laudato viro, probari. Non enim ego id de te sentio; quod forte plerique qui in ea hæresi sunt, hominem eloquentem non posse de aliis disciplinis judicare, quasi earum peritia carere sit necessarium, ei qui bonarum litterarum ac politioris humanitatis studiis fuerit imbutus. Novi ego tuum perspicacissimum ingenium; novi fervens jam inde à pueritia studium, non minus ad philosophiæ doctrinam quam ad oratoriam atque poeticam capescendam, in quibus omnibus tantùm perfecisti, ut tua te patria inclyta Florentia omnium liberalium artium utatur

præceptore, nec ſane mirandum te unum eſſe perpaucorum, qui ætate noſtra eloquentiam cum ſapientia junxerunt. Cum in ejuſdem ſapientiæ ſtudio habeas ducem ac comitem divino virum ingenio Joannem Picum Mirandulam noſtrum, cum quo dies ac noctes in omni doctrinarum meditarione verſaris, ac prætere tibi omnia ad ingenuè philoſophandum adjumenta ſuppeditet, favor ac gratia Laurentii Medicis maximi hac tempeſtate ſtudiorum Patroni, qui, miſſis per univerſum terrarum orbem nunciis, in omni diſciplinarum genere libros ſumma ope conquirit, nulli ſumptui parcir, quo tibi ac reliquis præclaris ingeniis bonarum artium ſtudia emulantibus inſtrumenta abundantiſſima paret. Audivi te referente vocem illam præclaram ex Laurentii ore prodiiſſe, optare tanta ſibi abs te ac Pico noſtro ad libros emendos præſtari inciramenta, ur tandem deficientibus ſumptibus totam ſupellectilem oppignerare cogatur.

Cum igitur omnia & animi & fortunæ bona in te cumulatiſſima ſinr, nihil eſt quod, Angelo Politiano pro me contra Barbaros pronunciante, quempiam deinceps timere debeam, qui illorum patrocinium ſit ſuſcepturus. Quod aurem ut jure à me Barbaros reprehendi judicaſti, ita non approbas quod Plinium de vita ac litteris oprime merirum intra eamdem cum Barbaris aleam poſuerim; cujus tanta ſit apud peritiſſimum quemque auctoritas, ut aut eam tentare non debuerim, aut ſi omnino convellendam duxeram, forrius id à me fieri, quam adhuc feciſſe videar oportuerit. Si me forte hiſce verbis (ut qui mecum amice omnia pores) temeritatis atque impudenriæ tacitæ accuſas, qui tantæ exiſtimationis virum per calumniam, quodammodo reprehendere quæſiverim, habeo jam excuſationem mihi ex tua epiſtola paratam. Fateris enim vera eſſe quæ in ſcholis noſtris lectirantur, amicus Plato, amica veritas, ſed cum ambo ſint amici, pium eſſe veritatem in honore præferre. Cum igitur ego ita ſentirem Plinium non minus quam cæteros in hederæ deſcriptione alrerius plantæ quæ apud Græcos ciſthos appellatur, nominis vicinitate deceptum, quoniam hedera à Græcis ciſſos dicatur, indicia non ſine

errore miſcuiſſe, nolui, quantum in me erat, pati veritatem ipſam in obſcuto jacere.

Quod autem fortius atque evidentius hunc à me errorem indicari oportuiſſe cenſes; ſcito non fuiſſe tunc animi mei propoſitum Plinii auctoritatem peſſundare. Nam cum illa dictirabam, præcipua erat mihi contentio cum Barbaris, atque immo cum de hedera ſermo haberetur, cujus naturam non ſatis Avicennæ cognitam fuiſſe probare contendebam, obiter ac veluti quodam in tranſcurſu Plinium quoque in aliorum mentione nominavi, quem tamen non dixi unâ cum Avicenna, ac reliquis erraſſe, ſed videri in eodem cum aliis errore verſari. Vide quanto modeſtius de Plinio quam de aliis tunc ſim locutus, quos non videri eodem errore deviare, ſed plane aberrare aſſeveravi. Quod ſi is mihi animus tunc fuiſſet, aut nunc etiam eſſet, Plinii errata in lucem patefacere, potuiſſem & tunc, & nunc quoque poſſem integrum de eiſdem implere volumen.

Pauca tamen è multis hoc in loco cenſui aperienda, ut intelligas me non temerario judicio, ſed certiſſimis rationibus adductum ut exiſtimarem Plinium, ità in hederæ deſcriptione, quemadmodum in multis aliis ad medicinas pertinentibus aberraſſe. Illud verò mihi primum tecum conveniat, tam apud Græcos, quam apud Latinos atque etiam Barbaros, Dioſcoridem eſſe ſummum Auctorem, atque præcipuum, cui in herbarum ac fruticum deſcriptionibus fides ſit adhibenda. Nam & Plinius ipſe non hunc minus quam Theophraſtum in hac parte ſecutus videtur, ut qui utramque linguam & Græcam & Latinam noverit, ſententias integras Dioſcoridis quaſi verbum ex verbo à Plinio tranſlatas agnoſcat. Galenus prætereà homo tum in omnium liberalium artium, tum in medicinæ præſertim diſciplina præcipuus, in ſuo de ſimplicibus medicaminibus libro ſe à deſcribendis herbarum imaginibus ſuperſediſſe fatetur, quoniam abunde in hoc ſtudio fuerat à Dioſcoride ſatisfactum. Nec Serapio Arabs herbas deſcribere aggreſſus, aliis eas notis indicavit, quam Dioſcorides, quamvis & ipſe non recte in omnibus imitando Dioſcoridem, libros ſuos innu-

meris implevit erroribus, quos nisi sperarem aliquando in lucem fore detegendos studio ac diligentia incliti præsulis Hermolai Barbari Patriarchæ Aquilegiensis, viri omnium disciplinarum peritissimi, libentius sane aliquando notarem, quam hosce Plinii in præsentia sim recitaturus, tum quia magis me juvat contra homines Barbaros quam Latinos agere, tum quia major humano generi ex Serapionis inscitia quam ex Plinio periculum imminet. Siquidem ætate nostra omnes fere Medici in simplicium medicaminum cognitione Serapionem sequuntur, Plinium autem nec legendum quidem existimant, quod eum in numero Grammaticorum, vel Oratorum, non autem Philosophorum aut Medicorum habendum judicent.

Ego verò, etsi non inficias eo Plinium omnium doctrinarum studia excoluisse, multa tamen de quibus in suis de naturali historia libris conscripsit, non satis illi comperta atque explorata fuisse crediderim, ex quo illud secutum est ut cum non ea scriberet, quæ ipse novisset, sed quæ potius à diversis Auctoribus varie scripta collegisset, sæpius diversa pro eisdem, atque eadem pro diversis retulisse videatur, quam quidem rem me tibi homini doctissimo facile probaturum spero, si paululum seposito affectu non tanquam Plinii patronus, sed potius judex, hæc quæ in Plinio notaturi sumus errata diligentius perpendere, atque examinare volueris.

Nolo tamen hoc in loco ea quæ vel ad astronomiam aut reliquas philosophiæ attinent partes, à Plinio tractata, ad examen rationis adducere; plura enim mihi taxanda occurrerent, quam præsenti instituto conveniat, inter quæ est illud unum vel maximum, quod in secundo sui de naturali historia voluminis libro, lunam terra majorem, scripto prodere non dubitavit, quam tamen Ptolemeus & plures alii Astronomi insignes mathematicis rationibus (quibus nullæ, possunt esse firmiores) multo minorem terrâ esse probaverunt. Quod etiam ex his quæ Plinius ipse in eodem loco conscripsit, facile possit ostendi. Nam si umbra terræ in quam incidens luna obscuratur, vel æqualis est, vel excedit lunæ magnitudinem

magnitudinem (alioquin enim non poſſet tota umbræ tenebris abſcondi), eamdem autem umbram à terra miſſam, cum ſol cui ſe objiciens terra umbram jacit, magnitudinem terræ exſuperet, neceſſe eſt, quod & Plinius ipſe ibidem confirmat, in verticem extenuari, ac figuram metæ ſeu turbinis inverſi accipere. Hac ratione colligitur latitudinis umbræ lunam obtenebrantis diametrum multo minorem fieri terræ diametro, quod ſi umbræ latitudo minor eſt latitudine terræ, eadem autem umbræ latitudo, vel lunæ latitudinem adæquat, vel etiam ſuperat, ſequitur neceſſario lunam terra eſſe minorem. Quod verò Plinius ſuæ aſſertionis præfert argumentum, fieri ſcilicet non poſſe ut totus ſol intercedente lunâ terris adimatur, ſi major ſit terra quam luna, adeo debile exiſtit, ut quicumque vel aſtronomicas, vel perſpectivas delibaverit rationes, idem facile poſſit infringere. Neque enim cum ſol deficit, totus lunæ interventu adimitur terris, ſed pro varietate terrarum ſitus alicubi deficit totus, alicubi pars una tantummodo, alicubi nec deficit quidem. Quibuſdam autem terris deficere totum, quamvis luna ſit minor terra, nihil prohibet, cum ratio perſpectiva probet corpora inæqualia cujuſmodi ſunt ſolis & lunæ, propter inæqualem à terra diſtantiam, æqualia apparere. Quo fit ut cum ſe tantam nobis luna repræſentet propter vicinitatem, quantus ſol longe à nobis remotior videtur, mirandum non ſit eum aliquando totum lunæ interventu in aliquo terræ flexu hominum conſpectibus adimi.

Sed hæc ad matheſim pertinentia omittamus, atque ad ea veniamus, ex quorum occaſione diſputatio noſtra ſumpſit initium; de herbis, de fruticibus, rebuſque aliis terreſtribus ad medicinæ uſum accommodatis agamus. Videamus nunquid Plinius in hiſce omnibus cum Dioſcoride, Galeno, ac Paulo, cæteriſve præſtantibus Medicis, atque cum ipſa rerum magiſtra experientia conſentiat, an, ut dici ſolet, quandoque bonus dormiret Homerus. Primumque ab iis exordiamur in quibus vicinitas nominis quemadmodum in ciſtho & ciſſo eidem Plinio errandi præbuit occaſionem. Illud verò me juvat quod ad te ſcribo, quem novi non

magis Oratorum ac Philoſophorum quam etiam Medicorum noſtrorum fuiſſe in libris aſſiduum. Hoc enim mihi futurum eſt ad brevitatem aptius, cum Dioſcoridis, Galeni, Paulive dicta ad probanda quæ aſſero, non omnia ſcribere ſit neceſſarium, quæ tu aut quicumque alius Angelo Politiano eruditione ſimilis, ſuis quælibet locis apud eos Auctores, quorum teſtimonia citavero, facillime poſſit invenire. Satis enim mihi ſit, ne ſim prolixus, verba ipſa ſi quis legere voluerit, ubi quærere oporteat & auctorem & voluminis ordinem aperuiſſe.

Multas herbas ac frutices foliis marrubio ſimilibus ſcribunt Dioſcorides, Galenus, ac Paulus, quas omnes Plinius non praſſio, id eſt marrubio, ſed praſſo, id eſt porro, folia tradit habere ſimilia ; ſic orminon libro 22, dixit ſemen habere cymino ſimile, cætera porro ; ſic balloten (quæ alio nomine marrubium nigrum à ſimilitudine foliorum appellatur). Plin. lib. 27, ſcripſit alia nuncupatione porrum nigrum à Græcis vocari, ac foliis quam porri majoribus conſtare ; ſic ſtachyn porri habere ſimilitudinem longioribus foliis pluribuſque, lib. 24, notavit. Idem Plinius, libro 27, de leuce, leucoleuce aliarumque herbarum generibus tractans, nominis ſimilitudine ac dictionis figura deceptus, eiſdem leucographida quoque annumeravit, viſuſque eſt procul dubio leucographida herbam putaſſe, quam tamen Dioſcorides, Galenus & Paulus genus lapidis (quod alio vocabulo moroxus nuncupatur) eſſe teſtantur. Et ne quis forte pro Plinio objiciat, herbam etiam eſſe quæ eodem nomine cum lapide cenſeatur, eaſdem vires proprietateſque leucographidi Plinius, adſcripſit, quas in ejuſdem nominis lapide Dioſcorides, Galenus ac Paulus, pariter retulerunt. Scribit præterea Plinius, de leucographide qualiſnam eſſet, ab Auctoribus ſcriptum non reperiſſe ; cum tamen Dioſcorides quid ea ſit, & qualis, ſuo 5 de ſimplicibus medicaminibus libro, ſatis notificaverit.

Ob eamdem nominis vicinitatem, polium pro tripolio, & viciſſim tripolium pro polio Plinius accepit. Nam libro 21, duo polii genera deſcribit, quemadmodum & Dioſcorides alterum cam-

pestre, alterum sylvestre, foliis utrumque canis hominis simillibus; at quod miraculum in polio affert, ejusdem folia mane candida, meridie purpurea, sole occidente cærulea aspici, hoc de tripolii flore à Dioscoride scribitur. Polium verò atque tripolium, non modò locorum diversitate in quibus utrumque gignitur, sed figurâ insuper, atque colore, ac proprietatibus etiam inter se plurimum differunt. Polium siquidem utriusque generis partim in campis, partim in montibus nascitur: tripolium, verò in maritimis tantum locis quæ unda maris allidit. Polium habet ut diximus folia canis hominis similia; unde & illi apud Græcos nomen tripolium foliis isatidis constat, quemadmodum de utroque scribit Dioscorides, & Plinius ipse libro 26 confirmat. Nam quod apud Plinium legitur de tripolio, folio satis crassiore, palmo alto, error est codicis. Ita enim legi oportet, tripolium in maritimis nascitur saxis ubi allidit unda, neque in mari neque in solo, folio isatidis crassiore, palmeo caule, in mucrone diviso: hæc enim omnia verbum fere ex verbo Plinius ex Dioscoride transtulit. Quod verò postea idem Plinius subjungit, hanc herbam eamdem videri quibusdam, quæ polium; miror ipsum quoque illorum errorem seque potius atque imitari, quam improbare, atque abjicere voluisse, quum, quod de tripolii flore miraculum legitur, polii foliis assignaverit. Sed parvum hoc futurum erat in vita periculum, si non etiam polii vires vicissim tripolio adscripsisset. Scribit enim tripolii radicem dari hepaticis in farre coctam, quod quidem tripolii remedium apud nullum gravioris auctoritatis Medicum legitur. Polium autem non hepatis tantùm, sed omnium plane viscerum vitiis auxiliari, auctor est Galenus in 7 de simplicibus medicaminibus libro.

Scribit Dioscorides libro 4, quoddam papaveris genus quod ab aliquibus heraclium appellatur, habere folium tenue, simile struthio, id est, herbæ ita vocatæ: quia verò struthion apud Græcos significat etiam passerem, deceptus nominis equivocatione, Plinius hanc similitudinem, ad avem potius retulit, quam ad herbam. Ita enim de heraclio, libro 20 scribit: alterum est in syl-

vestribus heraclium, foliis si procul intuearis, speciem passerum repræsentantibus. Sed qui fidem ex re ipsa habere non possit, aliquanto sane probabilius existimet, herbam herbæ potius quam avibus folium habere persimile.

Empetrum ubi nascatur, & quas habeat vires in trahenda bile ac pituita, scribit Plinius libro 27, eodem quo Dioscorides modo. Alias tamen eidem subjungit facultates, quod urinam ciet, & calculos frangit, quæ à nullo alio Auctore de hoc empetro traduntur. Quin contra Galenus empetrum quod etiam prassoïdes appellatur, solis purgationibus 6 libro utile esse testatur. At quos in altero empetro quod etiam saxiphrages dicitur, Plinius legerat effectus à Græcis Auctoribus ac præsertim Dioscoride traditos huic empetro à saxiphrage diverso, quod vim purgatoriam habet, nominis equivocatione deceptus adscripsit.

Betonicam à Romanis dictam, à Græcis cestrum pingit Plinius folio lapatii, Dioscorides autem (cui magis astipulatur sensus) folio quercûs. Alteram verò betonicam quæ alio nomine britannica appellatur, folia lapatii habere idem Dioscorides tradit, ut verisimile sit Plinium alteram pinxisse pro altera.

Parthenium scribit Plinius, lib. 21, apud Celsum vocari perdicium & muralium, deinde subjungit easdem parthenio (quod muralium appellatur) vires, quas Dioscorides alteri parthenio adscribit (quod chamæmelon alio nomine dicitur quoniam parum foliis & flore ab herba chamæmelo differat); hanc autem parthenium Chamæmelo similem herbam nonnulli ex recentioribus Medicis cotulam appellant. Sed hæc parthenium non vocatur à Celso perditium atque muralium, sed altera potius quæ elxine à Græcis & simul perdicium ac parthenium quoque nuncupatur, à Latinis autem parietaria & muralium dicitur, quia passim in parietibus seu muris nascatur, nostro quoque ævo vulgo una littera dempta pro parietaria paritariam appellant. Hanc eamdem herbam, sive muralium, sive patietaria dicatur, connumerat Celsus libro suo de medicina secundo, inter ea quæ vim habent reprimendi simul, ac refrigerandi. Quæ sane facultas ei parthenio, quæ perdicium,

& parietaria appellatur, non autem alteri, quæ etiam chamæmelon dicitur, ab omnibus ferè medicinæ Auctoribus adscribitur; hæc enim sunt eadem Dioscoridis verba. Habent folia refrigerandi atque astringendi facultatem; nec de ea aliter Paulus atque Galenus tradiderunt. Ipse pariter Plinius lib. 21, eamdem & parthenium, & perdicium quoque nominari confirmat.

Plinium etiam non tantùm nominum, sed rerum quoque ipsarum similitudo aliquando decepit. Nam cyclamini radicem, quæ rapum terræ propter rotunditatem dicitur, aristolochiæ rotundæ, quæ & ipsa à radicis rotunditate nomen accepit, radicem esse existimasse videtur. Libro enim 25, quo in loco aristolochiam quatuor distinguit generibus, ejus quæ rotunda dicitur, radicem scribit à piscatoribus Campaniæ venenum terræ vocari, ac coram se contusam immixta calce atque in mari sparsam continuoque advolasse pisces mira cupiditate, statimque exanimatos fluitasse. Hoc idem, ut à viris gravissimis accepi, nostro fit ævo ab eisdem piscatoribus, non aristolochiæ rotundæ, sed cyclamini potius radice, pisces alliciendi atque exanimandi causa. Ipse quoque Plinius eosdem effectus non aristolochiæ rotundæ, sed cujusdam cyclamini radici, lib. 25, tribuit. Aut igitur fatendum est, duas esse radices quæ eosdem prestent effectus, quarum tamen alteram esse aristolochiæ rotundæ radicem, neque ab aliquo Auctore scriptum reperitur, neque experientia comprobatum: aut illud dicendum erit cyclaminum, quæ radicem habet rotundam, quartum esse aristolochiæ genus, quo nihil dici posset rerum naturæ repugnantius; siquidem inde apud Græcos aristolochiæ nomen, ut Dioscorides ac Plinius ipse testatur, quoniam sit optima prægnantibus; radix verò cyclamini adeo est adversa prægnantibus, ut si eam mulier gravida transcenderit, abortum faciat, veluti Dioscorides pluresque alii Medici insignes retulerunt, ac Plinius ipse quoque confirmat.

Quamvis plures sint herbæ quæ circumaguntur cum sole, Dioscorides tamen duo facit heliotropii genera; alterum foliis ocymi, floræ albo subrufo, recurvo, ut scorpionis cauda, possit videri,

unde & illi scorpiuri apud Græcos nomen; alterum non absimile foliis juxta paludes nascens. Plinius verò, lib. 22, quum & ipse duo genera heliotropii describat, in eisdem comprehendere videtur illam intibi speciem, quæ à Medicis Græco nomine cichorium appellatur, ita enim eodem libro de heliotropio scribit: heliotropii miraculum sæpè diximus cum sole se circumagentis, etiam nubilo die, tantus sideris amor est, nocte veluti contrahit cæruleam florem. Genera ejus duo, tricoccum, & heliostrophium, hoc altius (quamquam utrumque semipedalem altitudinem non excedat, semen in folliculo messibus colligitur; nascitur non nisi pingui solo, cultoque maximè; tricocum ubique; si decoquatur invenio in cibis placere. Quidnam aliud erit heliotropii genus cujus flos cæruleus existat, & non nisi pingui cultoque solo nascatur, quodque si decoquatur in cibis placeat, præter eam quam diximus intibi speciem? Hanc tamen Dioscorides quum de seride tractaret, veluti unam ejusdem seridis speciem notificandam duxit, ac proprietates longe ab heliotropii viribus diversas assignavit. Quare mirandum est quo pacto Plinius hoc loco ubi intibum designare videtur, easdem tamen vires potestatesque subscribat, quas in utroque heliotropii genere tradidit Dioscorides. Auget etiam illud magis admirationem, quod idem Plinius intiborum remedia ac præsertim illius quod cichorium à Græcis dicitur, cujus flos cœruleus cum sole circumvertitur, priore in libro scilicet vigesimo primo, suo loco, notaverat plurimum ab iis quæ de utroque heliotropio traduntur, differenria.

Simili errore Plinius pentaphyllon atque herbam fraga ferentem pro eadem accepit, ac pentaphylli notas simul ac vires eidem herbæ præter pentaphylli nomen censuit adscribendas. Sic enim libro 25, de pentaphyllo retulit, pentaphyllum nulli ignotum est; quum fraga quoque gignendo commendetur. Existimarem tamen in re tam nota esse codicis potius quam Plinii errorem, ac pro penpentaphyllo trifolium legi oportere, quoniam ea herba quæ fraga gignendo commendatur, & quæ nulli ignota est, non quinis, sed trinis constat foliis: nisi postea Plinius alia nomina Græca

fubjungeret ; atque alia afferret indicia, quæ non funt alterius herbæ quam pentaphylli propria.

Adarcen Plinius inter fpecies harundinum, lib. 16, connumerat, ubi ita fcribit: eft & in Italia nafcens, adarce nomine, paluftris ex cortice tantum fub ipfa coma, utiliffima dentibus. Adarcen verò Diofcorides, Galenus & Paulus non harundinis fpeciem, fed potius falfuginem quamdam in exficcatis paludibus harundinibus adhærentem effe fcripferunt.

Plinius, lib. 35, inter cæteros colores nativos Lemniam quoque rubricam connumerat, cui inter alia rubricæ genera palma à veteribus dabatur. Hanc præterea multum ab antiquis celebratam cum infula in qua nafcitur, refert; nec nifi figillatam venundari folitam, unde & fphragidos illi nomen fuerit apud Græcos, hac præterea minium fubliniri adulterarique, remque in medicina preclaram effe teftatur: omnes enim huic Lemniæ rubricæ facultates fubfcribit, quas prifci Medici in terra figillata tradiderunt. Videtur itaque Plinius Lemniam rubricam & Lemniam fphragida, five terram figillatam eamdem effe, exiftimaffe. At Galenus, tum aliarum rerum quæ funt in medicinæ ufu, tum hujus præfertim terræ figillatæ diligentiffimus inveftigator, ut qui, quemadmodum de fe fcribit, longis itineribus ad Lemnum infulam navigaverit, ob nullam aliam caufam, nifi ut Lemniam fphragida & quando nafceretur, & qualifnam effet oculis ipfis, contemplaretur: aliud effe rubricam Lemniam, aliud Lemniam fphragida in fuo de theriaca ad Pifonem libro, apertiffime oftendit; ita enim in eodem libro de Lemnia fphragide, five terra figillata fcribit: præftat autem eam non appellare rubricam, fed terram; eft enim quædam rubrica quæ in infula Lemno nafcitur, qua ad alios utimur effectus diverfos ab his ad quos terra figillata adhibetur. In nono autem fui de fimplicibus medicaminibus libro, idem Galenus terram Lemniam tribus diftinguit generibus. Primum eft ejus quæ facra dicebatur, quam neminem præterquam Dianæ Sacerdotem attractare fas erat, cui etiam ejufdem Deæ fignatura imprimebatur, atque ob id lemnium figillum vocabatur. Secundum ejus

quæ est vere rubrica, qua fabri lignarii utebantur. Tertium illius quæ vires habet abstergentes, atque ob id erat in usu fullonum præcipua. Si itaque in re quam adeo curiose investigavit Galenus, eidem magis quam Plinio credere oportet. Non rectè Plinius quæ de terra sigillata à veteribus Medicis tradita fuerant, eadem Lemniæ quoque rubricæ, quæ inrer colores ponitur ac non fuit tantæ celebriratis, ut non nisi sigillata venderetur, neque eosdem habet quos lemnium sigillum in medicina usus, censuit adscribenda. Et hæc quidem omnia probant Plinium ea quæ omnino invicem distant, aliquando rei, sæpius verò nominis similitudine deceptum, eadem esse existimasse.

De cisso verò ac cistho quamquam non per volumen sed per privatam epistolam, ut quod nolim mihi cum homine mihi amicissimo, quem colo, & observo, publicas esse de studiis contentiones, tuis quibus mihi pro Plinio objecisti rationibus respondere statueram; hic tamen locus exigit ut pluribus etiam argumentis quam in dictatis feceram, ostendam Plinium alterum ab alrera nescivisse distinguere. Plinius, lib. 12, describens omnia hederarum genera, prima in marem ac fœminam dividit, ac utriusque florem similem ait rosæ sylvestri, colore floris in mare ad purpuram accedente; ex quo illud intelligi voluit fœminæ florem magis albescere. Hæc autem maris ac fœminæ differentia, florisque in figura similitudo, in colore diversitas, neque à Theophrasto, neque à Dioscoride, neque ab alio gravioris auctoritatis viro, in hedera, sed in cisto plane describitur. Verisimile igitur est Plinium nominis vicinitate deceptum eo in loco quæ de duobus cisthi generibus traduntur, hederis tribuisse. Idem Plinius, lib. 12, ubi de ladano tractans quo pacto ab hircorum barbis depectatur insinuat, ita scripsit, scilicet: hederæ, flore deroso pastibus matutinis cum est rorulenta Cypros. Deinde nebulâ sole discusâ, pulverem madentibus villis adhærere, atque ita ladanum depecti. Poteftne lucidius ostendi Plinium pro cistho cisson, id est, hederam accepisse? Nam quis unquam retulit præter Plinium qui cisson, id est, hederam pro cistho posuit, pingue illud quod à lada herba

herba quæ etiam cifthos dicitur, ladanum nuncupatur, barbis hircorum hederam, vel hederæ florem, depafcentium adhærefcere. Hoc enim de ciftho, five lada, quod & ladani nomen indicat ab eadem herba derivatum, non autem de ciffo five hedera; Diofcorides Galenus, Paulus, & quicumque de ladani genitura fcripferunt, uno confenfu retulerunt. Quin Plinius ipfe eodem in loco ita fcribit: funt qui in cypro herbam ex qua id fiat, ladam appellant, etenim alii ladanum vocant: ac poftea lib. 24, de eadem herba ac ladano non aliter fcripfit, quam fupra commemorati viri, hæc enim funt ejus verba: Ledon appellatur herba ex qua ladanum fit in Cypro caprarum barbis adhærefcens; eft igitur cifthos, vel lada five ledon, non autem ciffos, id eft hedera, cujus flore depafto ladanum hircorum barbis adhærefcit: quod Plinius ipfe hoc in loco, lib. fcilicet 24, plane confirmat, quamvis lib. 12, vifus fit dubitaffe utrum effet hedera, vel lada, ex qua in Cypro ladanum fieret. Cujus dubitationis originem inde emanaffe crediderim, quod aliquando ex cifto, aliquando ex lada, quoniam utroque nomine eadem herba indicatur, ladanum colligi, apud diverfos Auctores legiffet. Ipfe tamen modus quem Plinius infinuat quo pacto ladanum hircorum barbis adhærefcat, facile oftendit fruticem, vel herbam cui pingue illud infideat, humilem effe ac per terram fe fpargentem, non quemadmodum hedera per arbores fe ab humo attollentem, cum ita fcribat: deinde nebulâ fole difcufsâ in pulverem madentibus villis adhærefcere; neque enim barbæ hircorum hederam depafcentium, quæ ut nonnullis placet hedera dicitur quia edita petat, nebulâ in pulverem fole difcufsâ maderent, nifi non ciffum, five hederam, fed chamæciffum potius hoc eft hederam humi repentem depafcerentur. Atque quo pacto hoc etiam in Cypro infula fieri poffit in qua, fi Theophrafto graviffimo Auctori credimus, nec hedera quidem nafcatur, fiquidem Cypros infula fit ad Afiam pertinens, ut omnes Cofmographi confentiunt, nec Plinius ipfe diffentit, qui etiam *fruftrà ab Arpalo hederam in Afia fatam* affirmat. Utrum verò fuis temporibus in eodem cœli tractu proveniret, non afferere aufus; id tantùm

scripsit : hedera jam dicitur in Asia nasci ; unde luce clarius apparet Plinium in eumdem errorem incidisse, in quem lapsus est Avicenna, cum in suo de simplicibus medicaminibus lib. herbam ex qua fit ladanum hederæ speciem significavit. In eodem 24 libro, Plinius cum post factam de hederis mentionem de duobus quoque cisthi generibus scribit, ea verba subjungit : sub his maximè nascitur hypocisthis; ex quibus videtur innuere sub his quidem cisthi generibus maximè nasci hypocisthidem, sub hederis autem nasci etiam aliquando, licet non adeo frequenter : neque enim eo in loco aut alibi Plinius de aliis cisthi generibus aliquid dixerat, ut id maximè ad eorum potius quam ad hederarum comparationem posset referri. Possum ergo sic colligere : Hedera apud Plinium dividitur in marem ac fœminam, utriusque flos similis rosæ sylvestri ; describitur eodem Auctore : In insula Cypro hederæ flore deroso, ladanum hircorum barbis adhærescit ; sub hederis quoque hypocisthidem nasci aliquando significat. Hæc autem omnia à nullo auctore, excepro Plinio, de hederis scribuntur, aut sensu ipso, sive experientia comprobantur, sed de duobus cisthi generibus plane traduntur, atque usu ipso ita esse cognoscuntur. Hæc igitur evidentissima sunt argumenta Plinium eodem cum cæteris errore deviasse, qui cisthon à cisso, hoc est ab hedera, nescivere secernere. Atque his quidem, ut ego arbitror, rationibus motus est Auctor libri qui *cornucopia* inscribitur : vir, ut apparet, in herbarum investigatione non indiligens, neque omnino earum imperitus, ut de hederis tractans scribat cisthon à quibusdam inter hederarum genera connumerari. Hoc enim in Plinio est ita manifestum, ut de eo nulla dubitatio haberi possit. Sed quoniam, ut in proverbio dicitur, si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt; existimavit idem vir, alioquin Græcarum doctissimus litterarum, cisthon esse arbusculam quandam à lada differentem, atque ab illa cisthum, ab hac ladanum idem pingue, quod utriusque plantæ foliis insideat, appellari ; cum tamen Dioscorides, Galenus, & Paulus eamdem esse testentur cisthon & ladam, sive ledon, à qua id genus odoris quod ladanum dicitur, nomen acceperit.

Neque vero in eo tantum Plinius erraſſe videtur quoniam, ut ſuprà oſtendimus, res omnino diverſas pro eiſdem accepit; ſed ob id etiam quod eaſdem ob nominum varietatem putavit eſſe diverſas, quamquam & eas quæ eodem nomine nuncupantur, variis in locis tam variè deſcripſerit ut, quamvis eædem eſſent, ipſum tamen differentes exiſtimaſſe jure, quiſpiam poſſit arbitrari.

Glaſti, ſimilis herbæ plantagini, ſucco ſcribit Plinius, lib. 22; inſici veſtes, idque ei herbæ nomen eſſe apud Gallos; noſtro quoque ævo, paucis mutatis litteris, guadum appellatur. At conſtat hanc eamdem herbam à Græcis iſatidem vocari : nam Dioſcorides ſcribit iſatidis ſucco uti infectores lanarum, eamdemque herbam habere folium plantagini ſimile, atque à Romanis glutam, vel glaſtum nuncupari: at Plinius, lib. 20, iſatidem tertium genus facit lactucæ ſponte naſcentis; quarto, ſimili lapacio ſylveſtri, dicit uti infectores lanarum, quod etiam ipſum à Græcis iſatidem dici idem Plinius eo in loco facile indicat, quoniam eoſdem effectus quarto generi tribuit, quos Dioſcorides iſatidi aſſignat. Cum igitur Plinius nullam eodem in loco admonitionem adjecerit, eamdem eſſe hanc iſatidem à Græcis vocatam quam, lib. 22, à Gallis glaſton appellari docuerat, videtur profecto ignoraſſe quam herbam Græci iſatidis nuncupatione ſignificarent : alioquin, ſicuti eaſdem vires in quarto genere lactucæ ſponte naſcentis ſcripſerat, quas in iſatide Dioſcorides, ita eodem folia plantaginis, ſicuti in glaſto fecerat, deſignaſſet. Quid quod etiam, niſi menda ſit codicis, quæ à Græcis dicatur iſatis, radiculam à Latinis vocari, ac foliis oleæ conſtare, ſcribitur ejuſdem Plinii libro 19; ac poſtmodum eamdem radiculam non iſatim, ſed ſtruthion potius ab eiſdem Græcis appellari, ejuſdemque ramos tingentibus præparari, lib. 24 inſinuatur. Quænam igitur hæc erit nominum ac rerum ipſarum confuſio, ſi eadem herba aliquando glaſti, aliquando radiculæ, aliquando iſatis, aliquando ſtruthii nomine in Plinio legatur, & nunc oleæ, nunc plantaginis, nunc vero lapacii folio deſcribatur? Non abs re itaque Venerandus antiſtes Petrus Barotius, Epiſcopus Patavinus, quemadmodum in omnium

bonarum artium disciplina eminentissimus, ita in hac quoque medicinæ parte, neque ipsis Medicis inferior, herbarum notitiam nostris temporibus pene impossibile arbitratur, quoniam prisca earum nomina sunt nobis ignota, in nulla verò tam manifesta indicia ab antiquis tradita habemus, quin totidem ex adverso in contrariam possint auferre sententiam, sive hæc aut tradendi aut discendi herbarum scientiam difficultas inde habeat originem, quod variis anni temporibus herbæ faciem cum ætate commutent, sive quod earum colores atque figuras non tam facile sit homini describere, quam Naturæ pingere atque formare. Hinc illa Auctorum in eisdem notificandis dissensio, hinc illa nominum ambiguitas, ut ferè major pars Medicorum nesciat quid struthii (quod Arabes condisi appellant), quid eupatorii, quid centaureæ majoris, quid alsines, quid oxymyrsines vocabulis antiqui Auctores significare voluerint. Qui vero sese scire opinantur, illi etiam in majori errore versentur; nam quum sæculum nostrum ab Hippocrate, Dioscoride, Galeno, atque omni vetere medecina ad garrulas quasdam atque sophisticas disputationes declinaverit, multa nos latent quæ, si Veterum libros ita legendos censeremus, sicuti calculatores Jacobos, Conciliatores, plus quam Commentatores reliquosque hujuscemodi Auctores, in quibus plurimum ostentationis, minimum utilitatis, non ignoraremus; neque enim impendio arduum esset, si non omnia, saltem earum pleraque cognoscere, quæ adeo familiaria sunt, ut non modo ad medicinam, sed ad alios quoque usus aliquando adhibeantur, quemadmodum de oxymyrsine atque arctio sumus indicaturi.

Nam quum hæc atque alia similia nomina plurimum sint ab illis quibus hodie in eisdem rebus significandis utimur, differentia, hinc plerumque accidit ut, cum eadem in Veterum libris lectitantur, aut medicamina peregrina, aut à communi usu remotissima esse putentur, quum tamen nemo sit qui illa in horto suo non habeat, ac non eisdem frequentissime utatur. Non sine omni tamen periculo, quum quis eis aliter utitur, quam prisci medicinæ Auctores statuerunt, siquidem quid ipsi de hujusmodi rebus

ſenſerint conjectare non poſſumus, quarum nomina apud eoſdem uſitata ignorantur, tum verò maximè (uti diximus) aberratur, quum quiſpiam ſe noſſe exiſtimat quid aliquo nomine ab antiquis indicetur, quod tamen ſub alia ab eiſdem nuncupatione comprehenditur, quemadmodum in eupatorio, centaurea majore, argemonio, ac pleriſque aliis plantis contingit, pro quibus diverſæ ab iis quas eiſdem vocabulis Antiqui deſignarunt, quotidie à noſtræ ætatis Medicis recipiuntur; quibus tamen non adeo Plinius quam Arabes Auctores, qui & ipſi, alius aliter, de eadem re tradiderunt, errandi occaſionem præſtiterunt. Avicenna ſcribit eupatorium habere folia cannabis, florem nenufaris. Meſue idem eupatorium foliis centaureæ minoris floribus ſubcitrinis longitudinis paucæ conſtare. Serapio foliis pentaphylli aut cannabis florem, autem non explicat. Fortunatum eſſe oporteat qui divinare voluerit, quiſnam horum veriora retulerit. Ac quod Medicus ille precabatur, qui medicinam ſorti commiſerat: Dii ſua cuique remedia quibus illa extraherentur, ſecundarent, itidem à nobis orandum, ut bonâ fortunâ in verum incidamus Auctorem. Bene tamen ſe res habet, quod ea, de qua paulò ante loquebantur, iſatis non eſt ſicuti eupatorium in medicina frequens; neque enim de ea minus quam apud Plinium legitur, varia à noſtris traduntur qui Arabes Auctores ſequuntur, quibuſque maxima ætate noſtra fides adhibetur in exponendis vocabulis, medicamina quæ in libris veterum Medicorum leguntur, ſignificantibus. Hanc à Græcis iſatidem herbam appellatam, Arabes *nil* atque *nilegi* appellant, licet hoc & Simon Genuenſis, & Auctor Pandectarum, & Conciliator in expoſitionibus Dioſcoridis ignoraſſe videantur. Nam Simon iſatidem nunc ſine aſpiratione, nunc cum aſpiratione ſcribit, & aliquando oſatim, aliquando iſatidem vocat, ſi quidem in littera *I* refert Dioſcoridis de iſatide verba; neque, ut in aliis quorum certiorem habet ſcientiam, admonet, iſatidem eamdem eſſe, quæ *nil*, ſive *nilegi* ab Avicenna atque Serapione appellatur, quin *nil* herbam Arabicè dictam, neſme Græcè, non autem iſatidem vocari aſſeverat: atqui facile erat advertere, quod

ea quæ de isatide sativa & sylvestri à Dioscoride scribuntur, eadem ferè omnia de *nil*, sive *nilegi* à Serapione atque Avicenna traduntur, quamquam & hi ambo Auctores hanc herbam ipsam quæ à Græcis isatis diceretur, non satis novisse videantur; alioquin non ita varii atque ancipites in eadem referenda fuissent. Serapio quidem *nileg* suam quam pro isatide posuit, quamvis ex sententia Dioscoridis eamdem describat, affert tamen & aliorum Auctorum sententias, quorum aliqui *nileg* habere florem coriandri dixerunt, aliqui folio phaseolorum constare; quas quidem opiniones facile improbare potuisset, si herbam ipsam non tam ex aliorum scriptis quam ex se ipso cognitam atque perspectam habuisset. Idem Serapio plantam quæ *habnil*, id est granum Indicum gignit, scribit esse similem plantæ *lebib*, id est involvolo, sive volubili, ut vocabulis utar apud Medicos nostros usitatis, ac ramis præterea foliisque viridibus, flore in cujusque folii radice purpureo constare; pluraque alia ejusdem plantæ addit indicia, quæ plane ostendunt eam esse omnino ab isatide differentem : hinc ortus est Simonis error, qui de *nil* in littera *N* ita scripsit. *Nil* Arabice est Indicum, quo panni tinguntur, & est succus plantæ similis volubili; semen ejus inter laxativa ponitur, in quibus verbis si Simon illud Indicum innuat, de quo Dioscorides, Galenus & Paulus tradiderunt, multiplex est mendacium. Neque enim Indicum est herbæ succus; verum, ut scribit Dioscorides lib. 13, & Plinius quoque idem retulit, lib. 35, Indicum est duorum generum; alterum quod fit harundinum indicarum spumæ adhærescente limo, alterum ex purpuræ spuma in purpurariis officinis cortinis innatante : si verò ita Indicum accipiat, ut nos vulgo vocare consuevimus succum quemdam herbæ, quæ à Græcis isatis, à nostris guadum, ut antea docuimus, vocitatur, quod Indicum dixerit herbæ succum, non sane à vero dissentit. At quod ea herba ex qua is succus exprimitur, qui Indicum appellatur, sit involvolo similis, tam est in propatulo falsum, ut improbatione non egeat. Idem Simon in littera *H* refert, ex sententia Theodori Prisciani, isatim esse rubeam tinctorum. Post mo-

mentum in littera *O*, dicit osatim, ut Macer scribit, esse gratam tinctoribus herbam; quæ dicta tam varia non parvam fidem faciunt, ignorasse Simonem quid apud Græcos isatis, & apud Arabes *nil* significaret, quamquam in hoc postremo Simoni sit ignoscendum; nam & Arabes ipsi de eadem *nil*, sibi non constant, quemadmodum ex scriptis Serapionis probavimus. Avicenna quoque, quamvis vires potius ac proprietates plantarum enarrare, quam earum effigies indicare studuerit, quum tamen ipse quoque de eadem isatide tribus in locis sub *nil* vocabulo scribat, merito suspicionem affert, se etiam titubasse, atque ancipitem fuisse quidnam esset isatis: nam in littera *N* eadem de *nil* scribit, quæ de isatide Dioscorides, quoniam eodem modo dividit in sativam, atque sylvestrem, atque easdem ferè vires ac proprietates herbæ *nil* tribuit, quas isatidi Dioscorides. Sed rursus idem Avicenna in littera *G* ita scribit: *guasmein* est folium *nil*; & quædam alia sub infert, quæ in littera *N* de eodem folio declaraverat; unum tantummodo addit, quod capillos inficit. Non tamen in iis, neque à se ipso, neque à Dioscoride multum Avicenna dissentit; ob id tantùm reprehendendus quod frustra de eadem re in diversis litteris scribat. At in eadem littera *G*, plurimum à Dioscoride ac veritate ipsa videtur discrepare, de grano enim *nil* ita scribit; granum *nil* est cartamum Indum: deinde multas proprietates subinfert, quæ nihil ad isatidem pertinent; pro qua *nil*, sive *nileg* idem Avicenna in *N* littera retulerat. Mesue quoque hunc errorem animadvertens, ubi de cartamo scribit, dicit quosdam falso putasse cartamum esse granum *nil*. Nec minor est apud Auctorem Pandectarum in eisdem rebus nominibusque colluvio, nam & ipse falso sctipsit, quod Arabice nigel dicitur, nesme à Græcis appellari, à Latinis autem indicum: & quamvis herbæ nil, sive indico omnes facultates subscripsisset, quas Dioscorides atque Galenus & Paulus isatidi tribuunt, idem tamen alio in loco videlicet in littera *B*, scribit osatidem, vel potius isatidem & *borith* Græce, Arabice Autem *agisdo*, Latine saponariam, vel herbam fullonum, omnibus hisce nominibus

eamdem herbam nuncupari ; ex quibus verbis videtur innuere isatim quam ipse vitiose osatim appellat , esse radiculam illam , cujus adeo succum in purgandis lanis Plinius , lib. 19 , extollit , nisi quod postmodum proprietates subscribit, quæ non sunt radiculæ , seu herbæ fullonum , sed isatidis potius , id est , herbæ tinctorum propriæ. Quantum vero huic Auctori Pandectarum credere debeamus, uno ejusdem viri ignorantiæ argumento recitato patebit. Docet Dioscorides ex foliis chamæleæ cum duabus partibus absinthii addito melle , vel aqua , fieri catapotia , id est pilulas. Hic autem bonus vir quicumque fuerit qui libros omnia mendatia continentes composuit, nesciens catàpotia apud antiquos significare eas quas nos vulgò pilulas appellamus , dixit docere Dioscoridem fieri trociscos admixto absinthio duplici mensura & una parte chamæleæ & catapuciæ , quasi apud Dioscoridem hoc verbum catapotia non pilulas , sed plantam potius , quæ vulgo cataputia dicitur , significaret.

Sed ne , dum aliorum potius quam Plinii errata persequimur ; usque ad fastidium volumen excrescat , ad propositi nostri institutum revertamur. Echios alterum genus describit Plinius eodem quo Dioscorides modo , lanugine spinosâ & capitulis viperis similibus. Hanc eamdem refert Dioscorides , lib 4 , ab aliquibus Alcibium vocari : Plinius tamen , lib. 27 , quasi de alia re verba faciens quam de echi , quam lib. 26 , contra serpentes bibi ex vino & aceto docuerat , ita scribit : Alcibium qualis esset herba apud Auctores non reperi , sed radicem ejus ac folia trita ad serpentis morsus imponi & bibi jubent. Sic Dioscorides , lib. 4 , echios radicem ac folia è vino potari jubet contra eosdem serpentes , esse verò eamdem alcibion & echion , illud non tenue est argumentum , quod neque Dioscorides , neque Paulus de alcibio seorsum scripserunt , sed de echi tantummodo , quam alio vocabulo alcibium , sive alcibiadion , dici pariter retulerunt. Nicander etiam , in Theriacis suis , id est in eo libro in quo remedia scribit contra animalia venenata , eamdem herbam alcibium & echin utroque nomine nuncupat , atque ejusdem libri expositor.

ſitor. Alcibium quidem ab inventore, velut Demetrius inquit, ab Alcibio quodam qui primus ex eadem herba remedium ſenſit, Echin autem quoniam contra viperarum ictus utiliter bibitur, ſcribit appellatam.

Sed quoniam de theriacis facta eſt mentio, non poſſum me temperare quin hoc in loco Medicorum noſtrorum errorem patefaciam, qui nobile illud antidotum, quod theriaca vocatur non ἀπὸ τῶν θηρίων, id eſt à feris contra quorum venena exhibetur, aut quæ in ejuſdem compoſitione miſcentur (non ſunt autem aliæ quam viperæ), ſed à quodam ſerpente qui proprio nomine *tirus* nuncupetur, quemque omnino huic antidoto addere oporteat, nomen traxiſſe opinantur. Eumdem autem ſerpentem ex Ægypto uſque petunt, & qui fidem facere volunt ſe omnia diligentiſſime conquiſiviſſe, quæ ad theriaces compoſitionem ſint neceſſaria una cum aliis, quæ eidem mixturæ adjunguntur, publiçè viſcendum exponunt, ſed neque ſerpentem illum norunt, quem hujus antidoti inventores theriacæ addi juſſerunt, neque pleraque alia, quæ in eadem compoſitione junguntur. Neque enim *tiri* nomen in libris Arabum aliud ſignificat, quam eam ſerpentis ſpeciem quam Græci echidnan, nos viperam appellamus, videntur ſiquidem Arabes quod nomen eſt generis apud Græcos, tribuiſſe ſpeciei; nam vipera *thêriou*, id eſt feræ ſpecies eſt. Arabes autem viperam pro therio, thiron (corrupto vocabulo) nominant; & quia Galeno & Paulo trociſci, ſive paſtilli theriaci nuncupantur, quoniam in ipſis *thêria*, id eſt viperæ quæ è genere ferarum ſunt, commiſcentur, ab Avicenna, in deſcriptione theriaces Andromachi, trociſci tiri appellantur. Nihil verò aliud in libris Arabum ſignificare tiron quam viperam, vel eo potiſſimum argumento probatur, quod quæcumque Serapio de tiri carne conſcripſit, & quonam modo pro uſu medicinæ paretur, & quoſnam præſtet effectus. Hæc omnia à Dioſcoride, Galeno ac Paulo, de vipera ſerpente ſcribuntur, quorum etiam Auctorum, Dioſcoridis præſertim atque Galeni, idem Serapio in hujus ſerpentis uſu affert teſtimonia; atque tirus, neque aliud pro tiro ſerpentis

nomen præter echidnam, id eſt viperam, uſquam in Galeno aut Dioſcoride legitur. Conſtantinus autem qui medicinam in Arabum libris edidicit, ſigna morſus tiri atque ad eumdem remedia non alia quam Dioſcorides in echidna, id eſt vipera retulit. Scribit Plinius libro nono, pilo carentium duo tantùm animal generare, Delphinum & viperam; hoc idem de tiro legitur in libris Ariſtotelis de animalibus ex Arabica in linguam Latinam tranſlatis. Pudet me opinionem tam vanam quæ ſe ipſam refellit, pluribus argumentis improbare. Neque ſatis mirari poſſum multos ætate noſtra Medicos celeberrimos, hæc varia in diverſis linguis interpretamenta parum diligenter intuentes, quum aliquando tirum, aliquando viperam in Medicorum libris lectitarent, non nominum tantùm, ſed animalium quoque diverſitatem eſſe exiſtimantes, alios crediditſſe trociſcos è vipera, alios è tiro, tirumque eſſe peregrinum ſerpentem, quem ad theriacos compoſitionem ex Syria uſque querere oporteret. Utinam tiri, id eſt viperæ quæ vulgo à quibuſdam *maraſſi*, à quibuſdam *ſcorzones* appellantur, in Italia non naſcerentur! Neque enim dolendum eſſet nos eo carere ſerpente, quo etſi aliquando ad hominum ſalutem uti poſſimus, ſæpius tamen eſt ſuo veneno noxius quam remedio ſalutaris. Hujus tamen erroris præcipuus ut mihi videtur Auctor fuit Avicenna, qui cum varias theriaces compoſitiones ſcribat, eoſdem trociſcos qui in eadem theriaca miſcentur, aliquando trociſcos è viperis, aliquando trociſcos tiri nominat: atqui idem trociſci in quibus viperæ ponuntur, non alia ratione trociſci theriaci à Græcis appellantur, niſi quoniam theria, id eſt viperæ quæ ex ferorum animalium genere ſunt, eiſdem trociſcis adjunguntur. Durat tamen hæc, ut diximus, perſuaſio apud noſtros, tirum ſerpentem alium eſſe à viperis, qui quoniam apud Ægyptios tantummodo reperiatur, non aliunde quam ex Memphi optimam ad nos theriacam apportari arbitrantur. Gentilis etiam maximè ævo noſtro auctoritatis Medicus in expoſitionibus ſuis in quintum Avicennæ librum, viperas ex quibus docet Avicenna fieri trociſcos, exiſtimat non eſſe id ſerpentis genus, de quo Ni-

cander, ut Galenus etiam testatur, elegantissimo carmine Græco, in hanc sententiam scribit, quam nos ut potuimus in Latinam vertimus linguam:

Vipera sæva caput lætali dente mariti
Mordicus abscindit, sed nata è semine proles
Viscera dilaniat matris, lucemque requirit.
Sic patris interitum sub primo ulciscitur ortu.

Hæc autem sunt Gentilis loco quem diximus verba: Ut apparet, vipera sumitur pro communibus serpentibus, non pro illis quæ caput masculi in specie sua præscindunt quando coit cum ea; unde filii facientes matris vindictam eas scindunt. Sed quod hoc ipsum serpentis genus de quo scribit Nicander, ac non communes serpentes, ut opinatur Gentilis, in theriaca miscere oporteat, docet Galenus in suo de theriaca ad Pisonem libro, in quo de vipera quæ ponitur in theriaca, ita ex Nicandri sententia refert: Hoc autem animal, quod vipera dicitur, hujus præ omnibus aliis caput ad perniciem idoneum: ferunt enim ipsam ore aperto semen maris excipere, quo deinde suscepto ejusdem caput abscindit; talis est viperarum exitialis complexus; demum ex semine geniti catuli, quodam naturæ instinctu, uterum matris abrodunt, atque erumpunt in lucem, mortem patris vindicantes. Hæc vero etsi non scribantur ab Avicenna de viperis, multa tamen alia de eisdem exponit, quæ etiam Galenus, in eo quem diximus de theriaca ad Pisonem libro, de echidnis, id est viperis, refert; nam ea quam notat Avicenna inter marem ac fœminam ex numero dentium differentia, in eodem libro scribitur à Galeno inter echin & echidnam, id est inter viperam marem ac fœminam, adeo ut nulla dubitatio relinquatur, Avicennam non communes quosdam, sed proprii generis serpentes, quemadmodum & Galenum, in compositione theriaces misceri voluisse, licet eosdem serpentes aliquando tiros, aliquando viperas nominans, plurimis errandi dederit occasionem. Sed & alii non pauci præter hunc de tiro & vipera in Avicenna atque ejus expositore Gentile leguntur

errores, in ejusdem theriaces descriptione; nam, cum idem Avicenna primam Andromachi compositionem maximè probet, adeò ut nihil ei aut addendum, aut subtrahendum, aut omnino immutandum existimet, eamdem tamen in multis à vera Andromachi descriptione differentem quinto sui voluminis libro notavit, bis enim in eadem centauream repetit, & pentaphyllon prætermittit, quod tamen ab Andromacho inseritur, centauream vero pro pentaphyllo esse ab Avicenna scriptam, facile est animadvertere. Paulus enim quem maximè secutum fuisse videtur Avicenna, quum Andromachi compositionem recitat, in quadam ejusdem particula ita scribit : Smyrnes, croci, xinziberis, rupontici, pentaphylli, calamenti, prasii, petroselini, stichados, & reliqua, eumdem ordinem imitans Avicenna ita notavit : myrrhæ, croci, zinziberis, reubarbari, centaureæ, calamenti montani, prasii, petroselini, stichados. Quî lucidius possit ostendi centauream pro pentaphyllo positam, cum præsertim eamdem centauream in eadem theriaces descriptione ponat Avicenna, atque in hac totius compositionis particula omnia quadrent in Paulo & Avicenna, præter centauream pro qua pentaphyllon in Paulo atque Andromacho legitur? Quod etiam animadvertit Gentilis qui, cum videret centauream bis in Avicennæ descriptione positam, & prætermissum pentaphyllon, non temerè centauream pro pentaphyllo scriptam judicavit. Quod vero pro rupontico Avicenna reubarbarum scribit, eadem qua Andromachus Paulusque mensura, non est admodum admiratione dignum : quam enim radicem Græci rupontícum vocant, eamdem Arabes reubarbarum. Est vero longe diversa ab ea quam nos vulgo reuponticum appellamus, quæ non ut prior, in his quæ supra Pontum regionibus nascitur, unde etiam nomen sortita videtur, sed & in Italia & in pluribus aliis provenit locis, hanc tamen nostri temporis Medici pro reubarbaro, id est ea radice quæ à Græcis rupontícum appellatur, geminato pondere ad eosdem adhibent usus. Quod si interrogentur ubi apud Dioscoridem, aut Galenus, aut etiam Serapionem, atque Avicennam, de hac eadem radice quæ est tantùm colore reubar-

baro similis, figura vero atque natura ac solo in quo nascitur plurimum differens, aliquid legerint, ram respondere quid scive-rint quàm de re ab omnibus penè ætate nostra ignorata; quam ramen nos aliquando sumus indicaturi: hic enim non omnia do-cere, sed plures tantummodo errores aperire, atque homines admonere statuimus, ne tam temerè atque inconsultè eis medica-minibus utantur, quorum quum nullam ex probatissimis Auctori-bus habeant scientiam, neque veram etiam atque securam tenere possint experientiam.

Miror tamen Gentilem nihil de hac varietate nominum in An-dromacho, atque Avicenna dubitasse; cum tamen idem Gentilis in his ipsis Andromachi atque Avicennæ descriptionibus, com-parandis tam diligens haberi voluerit, ut notandum censuerit Ma-cedonicum ab Andromacho in theriaces descriptione positum, ab Avicenna autem prætermissum. Visus est enim existimasse Gen-tilis id quod plures, ne dicam omnes, etiam ævo nostro Medici opinantur, perroselinon esse id herbæ genus, quod passim nasci-tur in hortis, ac vulgo etiam petroselinon nuncupatur; sic eriam Macedonicum eam apii speciem quam aliqui vulgo macerones appellant purasse idem Gentilis apparet: quâ, in re facile osten-dit vulgarem se potius quamdam habuisse herbarum notitiam, quam eam, quam Dioscorides, atque Galenus, ac reliqui vete-res Medicinæ Auctores suis in libris posteris reliquerunt. Est enim petroselinon, ut 3 lib. scribit Dioscorides, semen simile ammi, quod non ubique provenit, sed in Macedonia in montium gigni-tur præcipitiis; unde & à loco, & à patria in qua nascitur, pe-troselinon Macedonicum dicitur. Galenus quoque de hoc eodem in suo de theriaca ad Phamphilianum libro ita scribit: Omnes igitur affirmarunt irim esse optimam, quæ in Illyria nascitur; pe-troselinon autem Macedonicum, asphaltum vero Judaicum. Nihil igitur Avicenna ex rebus quæ in theriaces compositione miscen-tur, hac quidem ratione prætermisit, quoniam petroselino Mace-donicum non adjecit, sed patriam tantum in qua nasceretur omisit.

Illud vero difficilioris eſt in Avicenna excuſationis, quando ſagapenon in ſua deſcriptione tacuerit, quod tamen cum aliis ab Andromacho jungitur : atqui ipſe Avicenna, cum variari menſuras medicaminum in diverſis deſcriptionibus inſinuat, eamdem varietatem non minus in ſagapeno, ſive, ut ipſe ſcribit, ſerapino, quam caſtoreo accidiſſe, confirmat. Neque dici poteſt ſub appellatione bezaard ſerapinum intelligi; nam paulo inferius Avicenna eo nomine galbanum ſignificari demonſtrat, quod tamen galbanum in ſecunda theriaces deſcriptione connumeratur ab eodem Avicenna inter ſex medicamina quibus ſecunda deſcriptio ſuper abundat à prima : adeo omnia in Avicenna ſunt dubitationibus plena. Nam & in prima deſcriptione bdellium ſubalbidum ab Avicenna ponitur, de quo nulla fit, neque ab Andromacho, neque à Galeno, aut Paulo, Andromachi compoſitionem referentibus, mentio. At ſi ordinem Pauli, quem Avicennæ imitari videtur, diligenter attendimus, pro galbano bdellium ſubalbidum, pro ſagapeno bezaard ab Avicenna ſcriptum reperitur; Paulus ſiquidem in una ejuſdem compoſitionis particula ita ſcribit : Seminis dauci galbani, ſagapeni, aſphalti, opoponacis, caſtorei, centaureæ, clematidis. Ana. 3, 11, apud Avicennam autem ita legitur : Dauci, bdellii ſubalbidi Ana. aureos 3, bezaard, aſphalti, opoponacis, centaureæ minoris, ariſtolochiæ rotundæ, omnium aureos. His facile eſt intueri in hac theriaces portione, pro galbano quod in Paulo ſemen dauci ſtatim ſubſequitur, poſitum eſſe ab Avicenna bdellium ſubalbidum quod, ut diximus, Andromachus, Galenus & Paulus omnino prætermittunt; pro ſagapeno autem in eodem ordine ſcribi ab Avicenna bezaard; pro ariſtolochia autem clematide ariſtolochiam rotundam, & caſtoreum, quod ab Andromacho in theriaces compoſitione ponitur, ab Avicenna in ejuſdem antidoti deſcriptione prætermittitur; aut ſi poſtea ſubjungitur, quum ejuſdem pondus variari in diverſis deſcriptionibus admonet, qui tueri poterimus Avicennam, ne in numero medicaminum ex quibus tota theriaces mixtura conficitur, erraſſe videatur? Erunt enim caſtoreo adjecto ſexaginta quinque, non autem

ſexaginta quatuor, quem numerum Avicenna in prima deſcriptione notavit. De quo etiam numero ſcrupulus non latuit Gentilem, adeò ut in Avicennæ deſcriptione ſuperfluere exiſtimet ſeminis ſiſeleos, quum ſtatim antea ſiſeleos ſcribatur, quod idem eſſe Gentilis arbitratur. At ſi Pauli contextum inſpicimus, quem, ut ſupra diximus in deſcribenda Andromachi theriaca, ſequitur Avicenna, pro thlaſpeos vocabulo videtur in Avicenna ſcriptum eſſe ſiſeleos; nam in Paulo ita ea particula legitur: Storacis, ſeminis apii, ſeſeleos, thlaſpeos, ameos, chamædreos, chamæpitheos, hypociſtidos. In Avicenna autem hæc eadem particula ita ſe habet: Storacis liquidæ, ſeminis apii, ſiſeleos, ſeminis ſiſeleos, ameos, chamædreos, ſucci hypociſtidos. In hac medicaminum connumeratione non differt Avicenna à Paulo, niſi quod pro nomine thlaſpeos, ut diximus, ſcribitur in Avicenna ſiſeleos. Hanc autem eamdem thlaſpin Avicenna in deſcriptione antidoti quod Mithridatum appellatur, nominat alſeis, & exponit quod eſt naſturtium Babylonicum: nam ſi quis ejuſdem antidoti in Avicenna deſcriptionem Pauli deſcriptioni comparet, non dubitabit pro thlaſpi alſeis ab Avicenna, cum reliquis medicaminibus idem antidotum componentibus connumerari.

Neque vero mirandum eſt de hac thlaſpeos in ſiſeleos aut alſeis apud Avicennam tranſverſione, ne dicam perverſione: nam & trociſci hedychroi qui in eadem theriaces compoſitione junguntur, corrupto vocabulo trociſci aldaracaron ab Avicenna appellantur, ab Aliabate autem & Nicolao, ut teſtatur etiam Gentilis, trociſci diacorali, depravato itidem hedyochroi vocabulo in diacorali. Neque ſane de verborum momentis cura eſſet habenda his quibus tantarum rerum inveſtigatio proponitur, niſi ex nominum ignorantia maximus ſæpè in rebus ipſis error accideret; nam Nicolaus quem diximus, cui ſumma atque præcipua ætate noſtra in deſcribendis medicaminum compoſitionibus fides adhibetur, hac forſitan vocabuli depravatione deceptus, pro darſiſaan quod in eorumdem trociſcorum deſcriptione legitur apud Arabes, ac pro aſpalatho quod idem eſt apud Græcos quod apud

Arabes, darsisaan ponit coralos; sed longe alia res est à coralis, id quod Græcè aspalathus, Arabicè darsisaan dicitur : nam ut primo libro scribit Dioscorides : Aspalathus est planta, quæ in Syria & Rhodo nascitur, quâ unguentarii ad spissanda unguenta utuntur, viresque habet excalefaciendi ac parumper adstringendi; probatur maximè gravis, subrubens, aut in purpuram vergens detracto cortice, densa, gustu amara, &c. Nonnulli tamen falsò putarunt aspalathon esse malum punicum sylvestre, atque ejus radice pro aspalatho utendum censuerunt; cujus sententiæ etiam Serapio fuisse videtur, ut titulus indicat ejus partis, in qua de darsisaan scribit : Aliqui radicem spinæ Indæ, ut Avicenna refert, qui etiam pro eodem ponit semen aliembut, id est, semen xylocaractæ; aliqui (ut scribit Gentilis) existimarunt esse spinam albam; aliqui cinnamomum; tanta est Auctorum in hac planta dissensio, ut neque quid ea sit, neque quid ejus loco accipi oporteat ex illorum scriptis satis constet; nam & Galenus ac Paulus, quibus in hac parte magis quam Avicennæ crediderim, pro aspalatho non semen xylocaractæ, sed lygi, id est, ejus arboris quam vulgo agnum castum appellamus, recipi in suis antiballomenis asseruerunt.

In eorumdem trociscorum hedycroôn, sive aldaracaron, descriptione, pro amaraco scribitur in Avicenna emeruche, & ipse idem Avicenna exponit, quod est alacoe alba; ignotum, scilicet per ignotius, ut dici solet. Hanc enim alacoe albam, aliqui camomillam albam, aliqui matricariam, aliqui cotulam, ut Gentilis testatur, esse arbitrantur. Quidquid vero sit alacoe alba, certum est amaracum pro qua emeruche legitur in Avicenna, nihil eorum significare quod de alacoe alba à diversis Auctoribus exponitur. Est enim amaracus herba odorata, quæ alio nomine sampsycus appellatur aut eidem sampsyco simillima. Nam & Dioscorides libro tertio sampsycum à Cissicenis ac Siculis alio nomine amaracum dici testatur, & idem plures alii, in quorum etiam numero est Plinius, confirmant.

Apud eumdem Avicennam in prima theriaces descriptione legitur

legitur ſecæ montanæ, exponitur autem à Gentile quod ſit ſticados, vel abſinthium; ſed ſticados hoc in loco ſignificare non poteſt : nam id ſub propria appellatione ponitur ſupra, neque etiam abſinthium, quoniàm de abſinthio in Andromachi theriaca à nullo fit mentio. In prima etiam quam ſcribit Avicenna ejuſdem theriaces compoſitione legitur ſcordion, in ſecunda autem pro eadem ſcordio ſcribitur allium ſylveſtre; hinc error vulgatiſſimus emanavit, ut, quoniam ſcorodon ſignificat apud Græcos allium, pro ſcordio allium ſylveſtre non in theriaca ſolum, ſed in pluribus aliis compoſitionibus accipiant : ſed aliud eſt ſcorodon agrion, id eſt allium ſylveſtre, aliud ſcordion herba quæ, ut ſcribit lib. 3, Dioſcorides, foliis triſaginis conſtat, eſtque præcipui contra venena ac ſerpentum ictus remedii; unde non abs re & theriacæ & pleriſque aliis antidotis admiſcetur. De hac eadem herba Galenus in ſuo de theriaca ad Pamphilianum & de antidotis libro, in hanc ſcribit ſententiam : Scordion optimum affertur ex Creta, quamquam neque improbandum in aliis gentibus reperitur. Scriptum vero de eo à graviſſimis medicinæ Auctoribus, quod cum corpora eorum qui in prælio ceciderant, diu inſepulta jacere contigiſſet, quæcumque ſors tulit, ut ſupra ſcordium jacerent, multo minus quam reliqua ſenſiſſe putredinem, atque eas præſertim ex toto corpore partes quas ipſius herbæ tactus defendit; unde creditum eſt eamdem contra animalium venena ac peſtifera medicamenta quæ vim habent putrefaciendi, auxiliari. Hànc pariter herbam idem Galenus libro de ſimplicibus medicaminibus 9, inter cæteras quæ putrefactionibus adverſantur, præcipue commendari teſtatur; quod ſi, ut ſcribit Galenus in ſuo de theriaca ad Pamphilianum libro, unius medicaminis adulterati vitium poteſt totam theriaces compoſitionem corrumpere, quî nos ſperare poſſimus eamdem mixturam optime confici, ubi maxima pars ſimplicium medicaminum quæ in ipſa junguntur, ignoretur; niſi fortè arbitramur Arabes aut Ægyptios nunc eſſe quam unquam fuerit Avicenna doctiores, apud quos conſtat omne philoſophiæ ac medicinæ ſtudium jam pridem ſui (ut fertur)

Machometi præceptò abolevisse. Illud potius minus mirari oportet, quum neque apud nos, neque apud illos hujus antidoti certa habeatur scientia, theriacam nostris temporibus non eos præstare effectus quos de eadem veteres Medici pollicentur.

Sed ne scribendi prolixitas tædium legentibus pariat, ad id unde digressi sumus, hoc est ad Plinium ipsum, revertamur. Centunculum scribit Plinius, lib. 24, vocari ab Italis herbam rostratis foliis, ad similitudinem capitis penularum, jacentem in arvis; eamdem autem à Græcis clematidem appellari, ejus præterea egregium effectum ad sistendum alvum in vino austero testatur. At Dioscorides libro 3, non clematidem à Græcis nuncupatam, sed gnaphalium potius scribit à Romanis centunculum dici, atque eumdem ferè in gnaphalio refert effectum, quem in centunculo Plinius; nam ejus folia in vino austero pota dysentericis prodesse confirmat : quod idem Plinius, libro 27, de gnaphalio scribens, pariter asserit. Dioscorides prætetea qui omnes clematidis species diligenter atque accuratè conscripsit, nullam tamen hoc nomine à Græcis insinuat vocitari, qualem designat Plinius rostratis foliis ad similitudinem capitis penularum, in arvis jacentem.

Idem Plinius eodem libro 24, atque eodem in loco ubi centunculum nominat, laginem quoque inter clematidas connumerat, quam libro 22, lasinem nominavit. De lasine siquidem, lib. 22, ita scribit : Salutaris est phtisim patientibus. Et libro 24, de lagine ita : Phtisicos juvat cum melle. Item de lasine : Mulieribus lactis ubertatem facit. De lagine similiter : Lactis ubertatem facit. De lasine quoque : Infantium capiti illita nutrit capillum, tenacioremque ejus cutem facit. De lagine pariter : Et infantibus illita capillum alit. Utramque verò & lasinem & laginem in cibis placere, & venerem stimulare testatur. Quorum vicinitas nominum, & pares propemodum effectus argumento esse possint, vel lasinem, vel laginem in utroque libro esse legendum, atque eamdem plantam pro diversis bis frustra à Plinio repetitam. Eamdem præterea laginem scribit Plinius ab aliquibus echiten vocari, & tenue scamonium, quod dictum me suspicari facit ne laginem &

echiten, pro elxine & eusine, codicis forsitan errore, scribatur. Neque enim agnoscitur planta quæ verius tenue scamonium dici possit, quam ea quam Græci aliis vocabulis & elxinem, & eusinem, & cissampelon etiam appellant : habent enim hæc omnes scamonii notas ; libro siquidem quarto scribit Dioscorides : Elxinen habere folia hederæ similia ; at ejusdem hederæ foliis & elxines pariter scamonium. Libro eodem ab eodem Dioscoride scribitur : Elxine quoque florem fert candidum, calathi figura & plurimo lacte manat, & alvum ciet, sicuti scamonium. Hanc eamdem elxinen Plinius (nisi fallor) libro 21, convolvolum appellat, ob id quod (ut etiam de elxine scribit Dioscorides) omnibus in quas inciderit plantis circumvolvitur.

Ejusdem florem scribit Plinius esse rudimentum Naturæ lilia facere condiscentis, in quo flore plurimi decipiuntur Litteratores qui, Simonis Genuensis auctoritate freti, existimant eumdem florem esse ligustrum, de quo Virgilius : *Alba ligustra cadunt;* quum tamen ligustrum sit arbuscula, quæ quidem flores albos profert, sed plurimum à convolvoli flore differentes. Eadem arbuscula hodie quoque in aliquibus Italiæ locis ab incolis lagustrum, pro ligustro corrupto nomine dicitur. Audio etiam à plerisque caprifolium appellari, quoniam ejus. folio capræ præcipuè vescantur, non longè huic dissimilis in Asia nascitur, quæ à Græcis cypros, ab Arabibus alcana vocatur.

Minus verò mirandum sit, Plinium hominem quantùm negotiis civilibus deditum, tantùm ab omni medicinæ exercitatione remotum, in hac fruticum, ac herbarum contemplatione aliquando cespitasse, quando & Avicenna ipse, quem si vere eum, quem illi omnium ferè ætatis nostræ Medicorum tribuit consensus in medicina principatum mereatur, non solum scriptis, sed rerum quoque experimentis atque operibus verè Medicum fuisse oportuerit, tam in eisdem rebus ad usum medicinæ necessariis, videtur fuisse implicitus atque perplexus, ut hanc ipsam elxinem, sive cissampelon, quæ Latinè convolvolum dici potest, & alsinem, quam scribit Dioscorides auriculam muris à Romanis nuncupari,

& aliam quam Græci propriùs myosotida, id est auriculam muris appellant, & anagallíden quatuor, sanè herbas & natura & figura plurimum differentes, sub unius auriculæ muris appellatione confunderet. Quod si quis pro Avicenna objiciat, potuisse eum & alsinem, & eam quæ proprie auricula muris dicitur, & anagallidem, has tres omnes herbas auriculæ muris nomine nuncupare, quoniam æque omnes foliis musculorum auribus similibus constant; hoc totum de convolvolo, cujus folia sunt hederæ foliis similia nequaquam dici potuerit. Cur etiam post momentum Avicenna seorsum de anagallide sub proprio nomine tractavit, cujus antea proprietates in auricula muris assignaverat? cur etiam ejusdem proprietatibus, alias commiscendas duxit, quæ sunt ejus herbæ quæ proprie muris auricula vocatur, non autem anagallidis peculiares? Sed ne videamur Avicennam per calumniam falsò reprehendere, ejusdem Avicennæ verba ex secundo ipsius de simplicibus medicaminibus libro in medium afferemus: Auricula muris (inquit) est herba, cujus virtus, secundum Galenum, est propinqua virtuti herbæ qua vitrum abstergitur. Hic Avicenna alsinem sine dubio innuit, quam Dioscorides atque Galenus testantur habere similes vires elxine, id est parietariæ, sive herbæ qua vasa vitrea absterguntur. Deinde subjungit Avicenna, & hoc nomen assumptum est à duabus herbis, quarum una est quam nominat Galenus, & odoratur ex ea odor malvæ, & non habet duritiem. Hæc quidem Avicennæ dicta vera sunt de eadem alsine cujus mentionem facit Galenus lib. 6, quamquam nihil de tali odore retulerit.

Quod verò demum addit Avicenna, quod altera quam nominavit Dioscorides, sit similis volubili, nisi quia minora habet folia, omnino falsum est. Hoc enim Dioscorides scribit de elxine, quæ & cissampelos dicitur, quod habeat folia hederæ similia, minora tamen. Avicenna siquidem ab effectu hederam volubilem nonnunquam appellat, sicuti eadem ratione hæc ipsa planta, quæ apud Græcos elxine & cissampelos dicitur, Latine convolvolum appellatur. Sed quænam convolvolo cum alsine, sive auricula mu-

ris in foliis, aut flore, poteſtatibusve ſocietas, quamvis tenuis quædam in nomine tantùm apud Græcos ſimilitudo reperiatur? Nam auricula muris alſine, convolvolum autem ab eiſdem Græcis elxine vocatur, quæ ſanè vicinitas nominis decepit Avicennam, qui poſt momentum ſerpentes avibus, & tigribus urſos geminare videtur, hoc eſt res omnino differentes in una deſignare, quum convolvoli effigiem atque anagallidis pariter pingit. Ita enim poſt verba Paulo ante ſcripta ſubjungit: Et eſt herba expanſa ſuper ſuperficiem terræ, parvos habens ſtipites, domeſtica, bona, ſine odore, & non habet ſaporem fortem, azulinos habens flores, cujus ſemen ſemini coriandri aſſimilatur. Hæc omnia Avicennæ verba indicant, alterum genus anagallidis, quod florem profert cæruleum, & fœmina dicitur; ſicuti etiam effectus anagallidis proprii ab Avicenna ſubjuncti manifeſtiſſimè oſtendunt, quos ut antea ſcripſimus. Cum ſeorſum de utroque anagallidis genere ſub proprio nomine tractat, ipſe Avicenna ſubſcribit, addit tamen & aliam quæ non eſt anagallidis, ex ſententia cujuſdam Muſaich, facultatem; ſcilicet quod juvamentum ejus eſt juvamentum abſinthii: hoc autem non de anagallide, ſed ea herba quæ propriè myoſotis, id eſt auricula muris, à Græcis appellatur, differtque ab alſine & utraque ſpecie anagallidis, legitur apud Paulum, qui eam ad occidendos adhibet vermes. Ex quibus omnibus colligitur verum id eſſe quod diximus, Avicennam majori errore quam Plinium, qui res eaſdem tamque diverſas expoſuit, herbarum naturâ ac figurâ differentium, proprietates ac vires (in uno ut dicitur capite), miſcuiſſe; ſed non eſt nunc nobis cum Avicenna, ſed cum Plinio negotium, quare ad ipſum revertamur.

Hîc lib. 25 de arctio, quamvis echion errore codicis (ut arbitror) legatur, ita ſcribit: Arctium quidam perſonatiam vocant, cujus folio nullum eſt latius, grandes lapas ferenrem, hujus radicem decoctam ex aceto dant potui. De eadem perſonatia non multos infra verſus Plinius ita ſcribit: Perſonatia quam nemo ignorat, licet autem & hîc pro perſonatia perſolata vitiosè ſcribatur, tamen quod ſequitur, probat perſonatiam eſſe legendum.

Ita enim ſubjungit : Græci verò arctium vocant, folia habet majora etiam cucurbitis, & hirſutiora, nigrioraque & craſſiora, radicem albam & grandem ; hæc ex vino bibitur denariorum duorum pondere. Videtur profectò Plinius duo arctii genera putaviſſe, quorum utrumque perſonatia diceretur, alterumque biberetur contra ſerpentes ex aceto, alterum ex vino. Attamen, & Dioſcorides & Galenus, ac Paulus, de uno tantummodo arctio προσωπίτε, id eſt perſonatia, ſcripſerunt. Eſſe vero idem arction, ſive eamdem perſonatiam quam primo & ſecundo loco deſcribit Plinius, ejuſdem Plinii verba apertiſſime oſtendunt ; nam de prima ita ſcribit : Quidam arction perſonatiam vocant, cujus folio nullum eſt latius, grandes lapas ferentem. Hîc autem procul dubio, Plinius innuit illam, quæ à noſtris tum bardana, tum lapa major appellatur, quam ideo Veteres perſonatiam dixerunt, quoniam hac propter amplitudinem foliorum ad perſonatos faciendos utebantur : hanc vero eamdem eadem ratione Dioſcorides, Galenus, ac Paulus *proſopiten*, id eſt perſonatiam nuncuparunt, ac foliis cucurbitæ, nigrioribus tamen atque hirſutioribus conſtare tradiderunt.

Plinius, libro 15, chamædaphnen ita deſcribit : Eſt & chamædaphne ſylveſtris frutex & Alexandrina, quam aliqui ideam, aliqui hypogloton, alii daphnen, alii carpophyllon, alii hypelaten vocant ; ramos ſpargit à radice dodrantales, topiarii, ac coronarii operis, folio acutiore quàm myrti, molliore ac candidiore, majore, ſemine inter folia rubro, plurima in Ida, & circa Heracleam Ponti, hæc niſi in montoſis. Eamdem chamædaphnen poſtmodum Plinius lib. 24 ita deſcribit : Chamædaphne unico ramulo eſt, cubitali ferè folio, tenui, lauri ſimilitudine, & reliqua. Quis non videat Plinium, eidem plantæ differentes deſcriptiones afferre ? eſt enim prior deſcriptio in daphne Alexandrina, non autem in chamædaphne, lib. 4, à Dioſcoride tradita. Eſſe vero chamædaphnen à Daphne Alexandrina differentem, non ſolum Dioſcorides, ſed Galenus pariter & Paulus in ſuis de ſimplicibus medicaminibus libris oſtendunt. Idem Plinius cum myrtum ſativam, libro 23, deſcripſiſſet, ejuſque vires ac facultates

aſſignaſſet, poſtmodum ſubjungit : Myrri etiam ſylveſtris, quæ à Græcis oxymyrſine dicitur, proprietates ; adeo ut putaſſe videatur, oxymyrſinen, quæ & myrtus agreſtis dicitur, à myrto ſativa, ſicuti pleraque alia herbarum fruticum atque arbuſcularum genera, ſylveſtris tantummodo atque ſativæ diſcrimine differre. Idcirco de ruſco qui oxymyrſine & myrtus agreſtis à Græcis nuncupatur, tamquam de re ab oxymyrſine diverſa, ſeparatis in locis ſæpè commeminit, quamquam non alias in ruſco, quam in oxymyrſine vires ſubſcribat. Eodem tamen libro 23, Plinius adducit Caſtorem qui id quod verum erat exiſtimavit, eamdem ſcilicet eſſe oxymyrſinen apud Græcos, quæ Latinè ruſcus, vulgo autem etiam à Medicis bruſcus appellatur, ex quo Plinii temporibus, ſicut hodie quoque fiebant ruri ſcopæ : ſed præter Caſtorem, Dioſcorides etiam, lib. 4, teſtatur oxymyrſinem, ſive myrtum agreſtem à Romanis ruſcum nuncupari. Minori tamen (ut verum fatear) errore dubitavit Plinius numquid oxymyrſine eſſet ruſcus ; an alia arbuſcula, tamquam ſylveſtris è myrto ſativâ differens.

Serapio Arabs affirmat oxymyrſinen eſſe arborem ferentem fructum, qui apud Arabes cubebe vocatur ; ſed frivola ſatis ratione ſubnixus, quod neque Galenus de oxymyrſine, ſive myrto agreſti, neque Dioſcorides de carpeſio, id eſt cubebe (ita enim Arabes carpeſion interpretantur) quicquam in ſuis de ſimplicibus medicaminibus libris tradidiſſent. Sed longe alia res eſt carpeſium ab oxymyrſine, & qui utrumque novit fructum, cubebas ſcilicet, & baccas rubentes, quas oxymyrſine, vel ruſcus profert, ceraſiis ſimiles, quantum deceptus fuerit ſuâ conjecturâ Serapio, facile judicabit. Neque eo tantùm fallitur Serapio, quod oxymyrſines fructum, de quo ſcripſit Dioſcorides, putet eſſe cubebas, ſed ob id etiam quod carpeſium, de quo Galenus, non autem Dioſcorides, facit mentionem, cubebas eſſe opinatur; nam neque idem eſt carpeſium atque oxymyrſine, & licet Arabes in quorum numero etiam eſt Avicenna, pro carpeſio cubebas accipiant, aliud tamen ſignificare carpeſium apud Græcos, quam grana illa minuta quæ Arabes cubebas vocant, indicat Galenus in libro ſuo

de theriaca ad Pisonem, qui scribit carpesium esse festucas quasdam tenues aromaticas similes in gustu phu, id est radici odoratæ cujusdam herbæ, quam nonnulli illam esse opinantur, quæ vulgo valeriana dicitur, licet non omnia quæ de phu scribit Dioscoride, valerianæ conveniant; in Avicenna autem qui omnia ferè refert de cubebis, quæ de carpesio Galenus, alter est etiam error; nam cum scribat Galenus, ut diximus, carpesium similes vires habere phu, magis tamen subtili partium constare substantiâ, hoc non de phu, sed de rubea in Avicenna legitur. Hæc enim sunt ejusdem Avicennæ verba, pro carpesio cubebas indicantis: Cubebe, quid est ejus virtus; est similis rubeæ, verumtamen est subtilior.

Æram à Græcis dici granum illud, quod à nostris lolium appellatur, scribit Dioscorides, lib. 2: Ac præterea hi qui ab Aristotele in libro de somno & vigilia, atque à Plinio, libro 18, de eadem æra scribuntur effectus, quod scilicet capitis gravedinem & vertigines faciat, manifestissime probant. Plinius tamen eodem libro, atque eodem capite, æram describit, & lolium quoque tanquam ab æra differat, separatim nominat; nam si idem putavit & lolium & æram, mirum, quod sicuti in aliis plerisque frugibus atque earum vitiis in quibus nomina Latina non deerant sicuti in frumento, hordeo, & avena, Græcis utendum non censuit, non idem quoque in lolio statuerit, tam præsertim apud omnes usitato vocabulo, quamquam similis quoque de avena error in eodem libro & capite legitur: nam cum in principio vitia frugum exponit, scribit hordeum in avenam degenerare; paululum vero infra refert idem Plinius, hordeum necari à festuca, quæ nominatur ægilops: at si Dioscoridi credimus, quæ à Græcis ægilops dicitur, à Latinis avena nuncupatur. Galenus quoque in primo sui de alimentis voluminis libro, cum in tritico atque hordeo generatio minus prosperè cesserit, alterum in æram, alterum in ægilopen frequentius converti testatur, quod etiam maximum est argumentum æram idem esse quod lolium, & ægilopen idem quod avena,

Quam Plinius Gallicam nardum appellat, Dioscorides Celticam vocat,

vocat, quemadmodum illa apertissimè indicant, quæ de nardo Celtica & Gallica ab utroque Auctore referuntur. Hanc eamdem nardum Celticam scribit Dioscorides, libro primo, in Alpibus Lyguriæ nasci, atque ab incolis saliuncam appellari : Plinius tamen de nardo Gallica & saliunca locis separatis tanquam de rebus differentibus tractat; saliuncam nihilominus libro 21, herbam odoratam esse fatetur, quæ si vestibus interponatur gratissima sit; eamdem quoque testatur in Alpibus nasci, atque ejus in medicina usum tradit, non multum à nardo Celtica differentem.

Idem Plinius, libro 22, scribit : Sion foliis apii, sed latioribus, in aqua nasci, aliasque idem proprietatés viresque subscribit, quas etiam Dioscorides, libro 2, refert de eodem. Postmodum Plinius, libro 28, de silao ferè eadem : Silaus nascitur glareosis & perennibus rivis, cubitalis, apii similitudine; coquitur ut olus, magna utilitate vesicæ. Utraque descriptio sine dubio ei herbæ convenit, apio simili, in aquis nascenti, quam quidam falsò senectionem appellant, aliqui vulgo crissones vocant. Videtur tamen Plinius aliud sii, aliud silai nomine indicare voluisse, aut si pro silao, sion legendum sit, frustra eamdem herbam duobus in locis descripsisse.

Quid quod Plinius aliquando videtur vulgarem sequi opinionem, cum libro 33, scribat cinabari, cujus color in picturis propriè sanguinem reddit, esse sanguinem draconis elisi elephantorum morientium pondere permixto utriusque animalis sanguine, quam quidem cinabarim utilem antidotis medicamentibusque esse confirmat. Medicos verò sui temporis, qui pro hac cinabari utebantur minio, quoniam & ipsum cinabaris vocaretur, jure reprehendit; nam hæc cinabaris, quæ etiam minium dicitur, venenum est, cum ex ea fit argentum vivum, quemadmodum vicissim ex argento vivo fit cinabaris factitia, quam nos vulgò cinabrium vocamus. Neque ego sum nescius plerosque etiam Medicos ætate nostra in eumdem labi errorem, quum cinabarim in receptis (sic enim suas compositiones appellant) scriptum inve-

niunt, ac pro ea, nominis similitudine decepti, cinabrio utuntur; quod venenum esse probatur. Quemadmodum igitur consulo hanc cinabarim in usu medicinæ fugiendam, ita non suadeo draconum atque elephantorum saniem ex India petendam; nam ut fabulosum esse putem, cinabarim illam, quæ ad usum picturæ & medicinæ adhibetur, ex utriusque animalis sanguine permixto concinnari, gravissimi testis Dioscoridis me facilè movet auctoritas, qui, quinto sui voluminis libro in quo de metallicis tractat, falsò quosdam asserit existimasse, coloris similitudine deceptos, cinabarim sanguinem esse draconis. Durat verò adhuc Antiquorum in eodem nomine persuasio; nam hodie quoque metallicum illud, quod Dioscorides atque Galenus cinabarim nominant, vulgo sanguis draconis appellatur, quanquam ferè omnes nostra ætate Medici Serapionis atque Avicennæ errorem sequentes, id genus sanguinis draconis, quod in usu est, succum herbæ cujusdam arbitrantur, quæ à Græcis sideritis vocatur; sed de sideritide quidem herba, omnibusque ejus generibus plenissimè scripsit Dioscorides, ex nulla tamen ejusdem specie talem exprimi succum edocuit, quo Medici pariter atque Pictores ad suum utrique opus uterentur. Hunc tamen duplicem & in pictura & medicina usum compertum habemus in eo quod purum sanguinem draconis appellant, & de cinabari eumdem Dioscorides Pliniusque testantur; quod me maximè movit, ut existimarem idem esse cinabarim, de qua Plinius ac veteres Auctores Græci scripserunt, & id quod nos vulgo sanguinem draconis vocamus; nam hic quoque sanguini colorem quam simillimum reddit, & est rarus inventu atque difficilis, nec minus carus quam legitur fuisse apud Antiquos, quando sincerus atque incorruptus venundatur: nam qui passim in medicamentariorum officinis venalis exponitur, adulterinus est, licet eum pro vero in medicinæ usu recipiamus, quemadmodum vilem quamdam terram atque vulgarem pro Lemnia terra, quam (ut supra diximus) veteres Medici Lemnium sigillum appellabant.

Sed in hac omnium rerum, etiam ad vitam pertinentium, incuria sit sane veniæ locus, si alterum pro altero negligenter ac-

cipitur, modo in venenum præceps non feratur ignorantia, ut in cinabari diximus, pro qua fæpè minium factitium recipitur, quod venenum esse docuimus. Liceat pro terra lemnia terram nostratem gypseo colore recipere, quæ licet nihil habeat cum illa commune, præter quemdam ficti tamen sigilli caracterem, non tamen est hîc error cum vitæ pernicie. Pro argemonio herba quæ, ut scribit libro 2 Dioscorides, habet folium simile papaveri agresti, florem pariter ruffum, radicem rotundam plurimo succo croceo manantem, utantut altero frutice qui, & si plurimum à vero argemonio, & effigie, & viribus distet, in multis tamen morbis utilis esse probatur. Pro, Eupatorio Eupatoris Regis invento, sumatur herba vulgaris passim in foveis nascens, quam, licet quid sit à pluribus ignoretur, constat tamen non esse venenum. Pro spina alba quam Arabes vocant bedaguard, quoniam hæc à Medicis ignoratur, utantur spongiola rosæ sylvestris, quæ in spinis nascitur; nam etsi hæc plurimum in medicinæ usu differat à spina alba, non tamen est hæc permutatio exitialis. Hosce atque alios quamquam & ipsos reprehensione dignos errores, quandoquidem interitum manifestum non afferunt, condonemus illis quorum interest hæc potius tam ad usum medicinæ necessaria, quam pleraque alia nullius ad vitam momenti diligenter atque subtiliter perscrutari, modo pro semine rutæ sylvestris, semen cicutæ (quam nemo ignorat esse venenum) non admittant. Non sit tanti unus accentus, ut quo, cum armel scribitur apud Arabes cum aspiratione, significat cicutam, cum sine aspiratione rutam sylvestrem, aliquando ex tantilla nota hominum vita pericliretur.

Ego quidem fæpius artifices qui pilulas ex hermodactylis, ac fœtidas conficiunt, hujus erroris admonui, nec cesso quotidie admonere, quamvis major inveteratæ consuetudini, quam mihi fides adhibeatur; quod si me audiant, neque pilulis è lapide lazuli eum lapidem adjungant, quo passim Pictores utuntur. Montagnana quidem Medicus sua ætate celeberrimus, hujus lapidis usum periculosum existimat, quanquam fæpius non nocivus, sed arte quam alchymicam vocant, fictus venundatur. Ego verò tam na-

turalem, quam ficticium cavendum censeo, quoniam non minus est venenum, quam minium quod vulgo cinabrium vocari indicavimus ; atque idcirco nihil de hoc lapide apud Græcos Auctores legitur, quod ad purgandam atram bilem sit efficax, aut quod alios, quos de eo scribit Mesue, præstet effectus, quos ego verius de lapide armeno affirmari posse, existimaverim ; nam & Mesue ipse, licet lapidem lazuli à lapide armeno distinguat, non tamen vires ac proprietates admodum differentes in utroque conscripsit. Serapio verò, cum lapidem lazuli notificat, ejusque proprietates exponit, non alia refert quam quæ de lapide armeno à Græcis traduntur, neque præterea quicquam lapidis armeni alio in loco commeminit ; quod sanè non tenue est argumentum Serapionem eumdem putasse lapidem, & qui armenus à solo in quo gignitur, & lazuli à colore cæruleo quem Arabes lazul appellant, vocaretur. Avicenna verò etsi seorsum de lazul, id est lapide lazuli, & de lapide armeno inter alios lapides scribat, quæcumque tamen de lapide lazuli refert, eadem omnia ferè à Græcis Auctoribus, Dioscoride præsertim atque Galeno de lapide armeno scribuntur. Hæc enim sunt Avicennæ de lapide lazuli verba : Virtus ejus est sicuti virtus ejus quo adhæret aurum. Dioscorides de lapide armeno, lib. 5, ita : Eadem facit, quæ chrysocolla. Avicenna de lazul, sive lapide lazuli sic : Inest ei virtus eradicativa, putrefactiva, & abstertio ejus cum acuitate & stipticitate pauca. Galenus & Paulus, de armeno lapide eadem ferè : Habet vires abstergentes cum acredine, & pauca quadam adstringendi facultate. Avicenna de lapide lazuli pariter : Bonos efficit pillos palpebrarum, & est ultimum (sicut dicitur) propter proprietatem quæ est in ipso, & dicitur, quod propterea, quia ipsum evacuat humores malos prohibentes oriri pilos benè. In eamdem quoque ferè sententiam Galenus de lapide armeno ita scribit : Quum igitur tali natura præditus sit, miscetur medicaminibus oculorum, ipsum quoque seorsum terentes, & in pulverem quodammodo redigentes, utuntur sicco ad augendos pilos palpebrarum, quando ob humorum acredinem quidam ex-

ipsis decidunt, quidam non augentur, neque nutriuntur; nam ubi hujuscemodi humorum acrimonia fuerit consumpta, ad naturalem habitum palpebra restituitur. Ex his igitur tam similibus, ac penè eisdem tum Avicenna, tum Dioscorides, atque Galenus de lapide lazuli & lapide armeno, sententiis, unicuique videri potest Avicennam æque ac Serapionem in lapide lazuli lapidem armenum designare. Magis verò in hoc Serapio quam Avicenna laudandus, quoniam cum lapidem armenum sub lapidis lazuli nuncupatione notificasset, nihil postea seorsum de lapide armeno, tamquam re à lapide lazuli differente, id quod Avicenna fecisse probatur, scribendum censuerit. Quod si pauca quædam in lapide lazuli addit Avicenna, ut quod virtutem habeat eradicativam & putrefactivam, quæ de lapide armeno à Græcis non scribuntur. Sed de altero metallo potius, quod ab eisdem Græcis cyaneus appellatur, non sanè mirandum est Avicennam, ut in plerisque aliis, ita in hoc quoque lapide rerum differentium proprietates miscuisse; unde illud evenit ut, sibi parum constare, atque invicem pugnantia in hoc eodem lapide scribere, videatur: nam si virtutem habet eradicativam, quemadmodum de ipso scribit, quo pacto nutrit, aut producit capillos ex proprietate quæ est in eo, quos ex virtute eradicativa debeat extirpare: quod si etiam sit putrefactivus, cum ea quæ putrefaciendi vim habent, à Medicis doctissimis, ac Galeno præsettim, inter venena computentur, qua ratione pilulæ ex eodem sine vitæ periculo sumantur? Hoc enim est id quod ex lapidis lazuli usu non parvum imminere periculum significavi; idem etiam ego censeo de illo quem Dioscorides atque Galenus sub cyanei appellatione notificant, quemque idem Dioscorides, libro 5, vim destruendi ac putrefaciendi habere testatur, atque ideo nullus ex Græcis Auctoribus, sicuti lapidem armenum, ita cyaneum quoque purgandæ atræ bilis gratiâ, docuit in pilulis devorari. Neque me latet quædam esse quæ, per se sumpta, sint exitialia venena, aliis tamen admixta salutaria reddantur. Sed dicat aliquis, quisnam usus aut ratio hoc in lapide lazuli deprehenderit, nisi forte in eadem re Arabibus Auctoribus fidem ad-

hibere velimus, quos verisimile est lapidem lazuli à lapide armeno nesciviſſe diſtinguere, cum unius vires ac proprietates in altero notenr. Hujus ſiquidem erroris non eſt omnino, neque ipſe Serapio expers; nam licet de lapide lazuli tantummodo ſcribat, quo nomine lapidem armenum voluir inrelligi, quoniam verba Galeni quæ Serapio in lapide lazuli refert ſunt ab eodem Galeno in lapide armeno conſcripra; in fine tamen ſubjungir, ex cujuſdam Alchanzi ſententia, lapidem lazuli habere virrurem aduſtivam & putrefactivam, atque ideo auferre verrucas. Hæc autem (ut diximus) non eſt lapidis armeni, ſed alrerius potius medicaminis, quod à Græcis cyaneum, à Latinis cæruleum appellatur, proprieras.

Neque verò mirandum eſt Avicennam in lapide armeno, qui etiam à noſtræ ætaris Medicis ignoratur, hæſitaſſe quid eſſet, qui in cicura herba adeo vulgari tam anceps fuerit, ac dubius ut eam aliquando foliis cucumeris, aliquando mandragoræ, juxta diverſorum Auctorum opiniones, conſtare tradiderit, & nunc eamdem ſuccaram, nunc alphaphars & nonnunquam hyoſciamum nigrum appellet; nam in ſuo de ſimplicibus medicaminibus libro 2, ſub ſuccarum appellatione cicutam deſcribit, eoſdem ſiquidem ſuccaram tribuit effectus, quos cicutæ Dioſcorides: in 4 autem libro, ubi de venenis agit, cicutam non ſuccaram, ſed alphaphars vocat, & exiſtimat ipſam eſſe napellum aut venenum quod interficit hominem, & non interficit turdos; & poſtea ſubjungit eamdem hujus rei cauſam quam affert Galenus, non in napello & turdis, ſed potius in cicura & ſturnis. Hæc enim ſunt Galeni verba tertio de ſimplicibus medicaminibus libro, ſic: Cicura hominem quidem interficir ob mearuum latitudinem & caloris abundanriam, ac propter magnam quam habent arteriæ in attrahendo vim, pollens adhuc pertingir ad cor; non exanimat autem ſturnos, contrariis ex cauſis. In eamdem ſenrentiam ſcribit idem Galenus, libro 2 de alimentis, & 3 de complexionibus, de cicura & ſturnis, non autem de napello & rurdis, ut in ore eſt omnium ferè Medicorum qui, ſola Avicennæ auctorirate freti, id conſtanter affir-

mant, quod nullâ habent experientiâ compertum. Quis enim ſciat, an turdi ſine noxa napello veſcantur, cum quid ſit napellus ex ipſo Avicenna non conſtet? Signa enim quæ ab Avicenna ponuntur in eo qui hauſerit napellum, ſunt eadem quæ à Dioſcorides & Paulo ſcribuntur, in his qui toxicum biberint. Eſt autem toxicon quoddam veneni genus, quo ſagittæ ab Antiquis tingebantur; hinc enim illi apud Græcos nomen, quoniam miſſilia quæ ipſi toxeumata appellant, hoc potiſſimùm medicamine inficerentur: ſed hoc idem veneni genus ipſe Avicenna, Paulus infra nominat, corrupto vocabulo, pro toxico, *tuſſon*, cujus ſe neque naturam neque nomen noſce fatetur; eoſdem tamen in eo ex aliorum ſententia tradit effectus, quos etiam Dioſcorides & Paulus in toxico notant, ac quos Paulo ſupra idem Avicenna in napello conſcripſerat. Quod autem in Auctore pandectarum legitur, atque ab omnibus ferè Medicis creditur, napellum eſſe ſpeciem aconiti, id ex Avicennæ ſententia affirmari non poteſt: aconitum enim duplex eſt, Auctore Galeno; aliud quod interficit lupos, atque idcirco apud Græcos lycoctonos dicitur, aliud quod pantheras exanimat, ac ſimili ratione ab eiſdem Græcis pardalianches appellatur. De his autem duobus aconiti generibus Avicenna, eumdem Galenum ſecutus, ſub nomine ſtrangulatoris *adib*, id eſt lupi, & ſtrangulatoris leopardi, ſeorſum à napello tractavit.

Quod ſi Avicennam non minus noxias quam etiam ſalutares herbas incognitas habuiſſe probatur, quodnam ex ejus viri doctrina, aut in evitandis venenis, aut in capiendis remediis auxilii ſperare poſſimus? atqui omnium artium Profeſſores hæc duo ſuſcipere ac polliceri videntur, bonorum ſcilicet, ac malorum in ſua quiſque arte ſcientiam. Idem Avicennam (ut ad id unde digreſſi ſumus redeamus) eamdem cicutam eodem libro ſcilicet 4, ubi de venenis agit, hyoſcyamum nigrum nominat; nam quæcumque ſigna ab Avicenna ſcribuntur in eo qui hauſerit hyoſcyamum nigrum, ac contra idem venenum remedia, non alia ſunt quam quæ in cicuta Dioſcorides ac Paulus pariter notaverunt. Nec minus idem Avicenna in altera herba quam pro cicuta re-

cipi oportere in pilulis ex hermodactylis insinuavimus, incertus fuisse videtur quid esset, quum gummi ejus inter venena ponat, atque ea signa pariter atque remedia in his qui idem gummi hauserint, scribat, quæ Dioscorides ac Paulus non in gummi rutæ sylvestris, sive montanæ: neque enim usquam legitur aliquam rutæ sylvestris speciem habere gummi tale, quod venenum sit, sed potius in veneno quodam, quod ixiasa appellatur, de quo etiam Nicander in Theriacis suis facit mentionem, pariter notaverunt. Avicenna, & in eodem 4 libro, ubi docet curationem morsûs viperæ, scribit rutam agrestem non esse (ut multi opinantur) harmel, quum tamen & Dioscorides & Galenus, ac Paulus quoddam genus rutæ agrestis moly besasa, atque harmalum appellari testentur. Quod quoniam (ut idem tradunt Auctores) vim habet incidendi, & discutiendi lentos, ac tenaces humores in articulorum doloribus, ad quos pilulæ ex hermodactylis valent, quoniam magna ex parte talium humorum vitio proveniunt, utiliùs adhiberi existimaverim, quam cicutam, quæ sua frigiditate augere potius eumdem morbum possit, quam tollere. Galenus siquidem libro de simplicibus medicaminibus primo, semen cicutæ præ omnibus aliis frigidissimum esse testatur; in 5 verò ejusdem voluminis libro, etsi quædam vehementer frigida probat hebetandi sensus gratiâ, ubi impatibiles crucienr dolores, usum tamen cicutæ in totum damnar, ut quæ non solum frigiditate, sed etiam superflua humiditate sit perniciosa.

Sed nescio quo pacto dum alia ex aliis in medicina errata corrigenda se suggerunt, à Plinio ad Avicennam nostra se oratio devoluit, in cujus Auctoris erroribus explicandis exspatiari si velim, nullus huic operi terminus futurus erit; cum omnes ejus de medicina libri, ac secundus præsertim, in quo de simplicibus medicaminibus tractat, de quibus hactenùs sermo habitus est, innumeris scateant erroribus. Non ignoro igitur quos transeo, sed brevitatis potius causâ prætermitto; alteri enim hic mihi labor est volumini destinatus, in quo toto soli Avicennæ tractabuntur errores. Quare hæc in Plinio, tum obiter etiam in reliquis qui de

de eisdem rebus non rectè (ut ego quidem sentio) scripserunt, in præsentia notasse sufficiat, quæ ad te, Angele, vir doctissime, scribenda, tuoque judicio gravissimo ac maximo, subjicienda existimavi, ut si à te perspicacissimæ doctrinæ viro probabuntur, gaudeam sanè, contra obtrectationis invidiam, quam non dubito adversùs me plurimum, hoc præsertim volumine edito, ac tuo nomini dedicato, exortum iri, tuum mihi non deesse patrocinium. Quod si in his etiam quæ ad Plinium attinent, longe aliter quam ego senseris, meque potius in errore quam Plinium fore judicaveris, non lætabor minus, & Plinium abs te defendi, & me ab homine mihi amicissimo corrigi, atque emendari; nam quum hîc non de verborum momentis, sed de rebus agatur, ex quibus hominum salus, ac vita dependet, impium sanè sit, atque inhumanum, sicuti tibi alienos, ita mihi meos velles errores obnixè, atque obstinatè contra veritatem tueri. Ut autem de me loquar, hæc omnia quæ præsenti volumini inserui, animo ab omni contentione alieno, atque ad solam veritatem spectante, scripsisse, illud non leve argumentum esse potuerit; quod, quemadmodum in Plinium, ità in Serapionem atque Avicennam, plurésque alios qui circa eamdem cùm Plinio materiam scribendo de simplicibus medicaminibus fuere versati, in quibus à Dioscoride, Galeno ac Paulo, atque ab ipsa rerum parente Natura dissentire mihi visi sunt, ut communi hominum saluti consulerem, invehendum pariter duxerim. Utrum autem rectè, an perperam hoc munus pro tempore obierim, tuum erit, atque aliorum qui de similibus rebus judicare possunt, officium, non tam auctoritatem scribentium, quam veritatem ipsam inspiciendo, itidem sine ullo animi affectu, pronunciare. Vale.



LETTRE DE LEONICENUS

A HERMOLAUS BARBARUS.

Nicolai Leoniceni ad Hermolaum Barbarum, Pontificem Aquilegienſem, Epiſtola.

Vix dici poſſet, doctiſſime Hermolae, (ſit enim hæc tui Præfatio mihi hoc in loco conceſſa, quoniam ut te lepidè ac ſcitè dicere audio, plures tam Hermolaum litteratum norunt quam canditatum) quantum lætitiæ ac voluptatis acceperim, ex eruditiſſimi operis tui Pliniarum caſtigationum editione, non ob id tantùm quod Plinii de Naturali Hiſtoria libros qui prius mendoſiſſimi, ac quaſi demortui habebantur, adeo ut, ſi Plinius ipſe revixiſſet, itaque, uti pridem turpebantur, deprædatos inſpexiſſet, ſuos eſſe omnino pernegaſſet, tuo ſtudio ac diligentia in lucem reſtitutos, ac quodammodo renatos fateri liceat.

Sed quod multiplex in eodem opere fructus ex variis tam Græcæ, quam Romanæ linguæ voluminibus erutus una cum Plinianis caſtigationibus contineatur, nemini ſanè diſpliceant tot millia Plinio ab Impreſſoribus, ſive Librariis vulnera adacta, quæ dum tu ſanare ſtuduiſti, tam multa digna memoratu tibi ſcribendi dedere occaſionem. Multos certè futuros ſcio, qui non tam veram Plinii lectionem quam tuam excellentem in eo libro doctrinam, ſunt quæſituri. Quod verò me in eodem præ cæteris ſummopere delectavit, illud ipſum fuit, quod plerique mihi futurum fuiſſe moleſtum ſuſpicari potuiſſent: Plinii quoque defenſionem in quibuſdam locis à me in eo Auctore notatis, obiter fuiſſe ſuſceptam. Neque enim ego is ſum, qui velim mea ſcripta ſine contradictione legi; nam quod in calce libri de Plinii, atque aliorum Medicorum erroribus editi ſcribitur, gaviſurum me eſſe, ſiquis

Plinii patrocinium fuſciperet, meque potius, quam tantum erraſſe virum demonſtraret : id non adeò Angelo Politiano ad quem idem liber deſtinabatur, quam omnibus plane in tota Italia eruditis volui inſinuatum exiſtimari. Sed quod idem Angelus Politianus, vir alioquin in enarrandis Poetarum, Oratorum, ac Philoſophorum libris occupatiſſimus, hactenus facere diſtulit, vel quod Plinii defenſionem ſuis aliis gravioribus ſtudiis poſtponendam cenſuerit, ſive quod mei libelli confutationem noſtræ veteri amicitiæ condonandam exiſtimaverit ; dolebam à pluribus aliis verè atque ingenuè doctis prætermiſſum, atque hoc Plinii tutandi munus à quibuſdam hominibus uſurpari, qui nihil minus in ſua vita tractaſſent, quam res illas, de quibus mihi erat cum Plinio diſſentio, quas ut etiam ſcirent à me ipſo per meos diſcipulos, latenter explorabantur. Quid enim ipſi agerent, cum neque medicinæ ſtudiis unquam incubuiſſent, neque Græcorum Medicorum auctoritates, quas ego in meis ſententiis confirmandis adhibueram, unquam legiſſent, aut ſi nunc demum legere inciperent, quoniam Græcas litteras ignorarent, nec unum quidem verbum poſſent intelligere, niſi ab aliis illa docerentur, quæ ſub ſuo nomine erant impudenter edituri, & ne nihil de ſuo interſeruiſſe viderentur, jurgiis atque conviciis pro Plinio contenderent ?

Cum igitur non parum ſanè dolerem litem mihi eſſe cum viris non ſolum imperitis, ſed etiam inſolentibus & contumelioſis, tandem, vel caſus, vel ratio talem qualem merebatur, Plinii attulit defenſorem, te ſcilicet, Hermolae, qui tantus in omni doctrinarum genere haberis, ut Marcum illum Varronem Latinorum atque Græcorum habitum aliquando doctiſſimum, ſolus ætate noſtra repræſentes. Equidem cum ad me hujus à te pro Plinio ſuſcepti patrocinii fama perveniſſet, teſtes habeo Ferrariæ quam plurimos, qui me illud dictitantem audiverunt : jactum eſſe majoris machinæ ſaxum ; quæ ab illo mœnia non forent ſubverſa, nemo ſperaret fundis poſſe demoliri ; neque hæc ſanè jactabam tanquam eſſem de me ipſo ſecurus, quin imo quam eſſet mea in ancipiti fama periculo, omnibus prædicabam : Rem mihi eſſe cum viro

eloquentiſſimo, philoſopho perſpicaciſſimo, multarum rerum, quæ aliis eſſent abſtruſæ atque reconditæ, ſcientia prædito, ac quod præcipuè meo nomini poſſet officere, jam multos annos (dum Plinianas caſtigationes ac Dioſcoridis tranſlationem unâ parturiret), ſoli ſimplicium medicaminum indagationi vacaſſe, non me tamen propterea ceſſurum affirmabam; ſed (veluti navis forti compage ſubnixa, ubi ſemel anchoram jecerit, quamvis

Unà Eurus Zephyruſque ruant, creberque procellis
Africus, & vaſtos tollant ad ſidera fluctus,

contra tamen tot ventorum, atque oblatrantium impetus fluctuum, ſtabilis, atque inconcuſſa perdurat), ſtatuiſſe me fortiter ſtare, ac quànto major mê vis oppugnaret, tanto audentiùs pro veritate certare.

Tandem cum tuæ in Plinium caſtigationes ad manus meas perveniſſent, tunc demum intellexi temerè me ſuſpicatum, te mihi fore adverſarium, qui eſſes mei libelli propugnator acerrimus. Tu enim Plinii (ut tuis utar verbis) cavillum, lunam terra majorem ſtatuentis, non alia quàm ego, ratione confutaſti; tu de porro atque marrubio, errorem in Plinio hallucinante confirmaſti; tu polii atque tripolii confuſionem in eodem Auctore notaſti; de parthenio altera, quam Celſus nominarat diverſam ab ea quam Plinius eamdem putarat, idem quod ego, ſenſiſti; Dioſcoridem ſaliuncam à nardo Celtica non exiſtimaſſe differentem, tu unà mecum judicaſti, quamvis plus Plinio contrarium opinanti, credendum cenſueris. De papavere heraclio herbæ ſtruthio ſimili, ac non paſſeribus, ut ſcribit Plinius, quamvis certiorem ſententiam ferre diſtuleris, mihi tamen aſtipulari verba Dioſcoridis non negaſti, herbam etiam fragra ferentem, non eſſe quinquefoliam, ſed potius trifoliam, tu etiam contra Plinium pronunciaſti; meam de empetro, de betonica, de cyclamino opinionem, tacendo comprobaſti. Denique ſiquis res ipſas potiuſquam ſermonis elegantiam (qua longe abs te ſuperari confiteor) conſiderat, illud dicere audeat: Vel Barbarus leonicizat, vel Leo-

nicenus barbarizat, non quod tu à me, aut ego à te aliquid fuerimus mutuati, sed quod ea sit nobis consensio animorum, ut plures qui aderant docti sanè viri, cum Ferrariæ, in palatio Ducis illustrissimi Herculis, de simplicibus medicaminibus sermones invicem haberemus, non parum sint admirati te, cum vix ego ad loquendum os aperuissem meos anticipasse cogitatus, meque item ex uno plerumque verbo abs te prolato quæ deinceps proferre volebas divinasse.

Quod si in his quæ ad Plinium attinent numero sanè paucis ac non magni ad vitam momenti contigit dissentire, minus certè mirandum in ea præsertim materia de qua nulla incertior, atque inconstantior apud Medicos habetur scientia. Adde quod tu Plinium quem in novam educendo lucem, veluti adoptivum tibi filium fecisti, animo paterno castigasti, plura illi errata indulgendo, ac leviter perstringendo, atque omnia ferè Librariis, vel Impressoribus imputando. Ego qui alienior eram, severiùs fortassis quam decuit, egi adversus hominem, meo quidem judicio præstantissimum, atque de hominum genere optimè meritum, quem, tamen quoniam humanum sit labi, decipi, & errare, devium à veritate iter aliquando tenuisse suspicabar, atque ideo, cum de rebus ageretur, in quibus hominum salus ac vita continetur, quoniam in nulla tantùm quantum sit in hujusmodi inscitia periculum, nolui veritatem in obscuro jacere, atque idcirco librum de Plinii atque aliorum Medicorum erroribus censui publicandum. Neque vero id tu mihi vitio vertere potes, quod plerique æmuli cumulandæ invidiæ gratiâ mihi criminosius objecerunt, temerarium me hominem, atque impudentem vocitantes, qui tanto in lingua Latina Auctori ausus sim contradicere; est enim abs te, qua nulla magis mihi possit in hac causa suffragari, 32 libro Plinianarum castigationum præclarissima scripta sententia: Cogitationem aliquam hujusmodi supprimere, non esse parcere veteribus, sed invidere posteris. Erat autem (nisi fallor) ea tua cogitatio, quod Plinius non rectè imitatus Theophrastum libro prædicto scripsisset: Reperiri in Hispaniis minium, sed durum &

arenosum, quoniam Theophrastus non de Hispaniis, sed de altera loqueretur Hiberia quæ Albanis est juncta. Quod si tu in his quæ à quibusdam minutioris fortè curæ indicarentur, nec Plinio quidem tuo parcendum censuisti, debui ego qui artem medendi profiteor in rebus ad salutem hominum attinentibus, si quando Plinium adverti dormitantem, viri alioquin doctissimi errata tacere, quamquam tu forte inquies, quis tibi hoc jussit silentium? ego enim non te vetui, quæ à Plinio erant non rectè scripta, notari; quando & ipse quoque non solum Librariorum, sive codicis menda castigavi, sed plures etiam Auctoris hallucinationes aperui; atquæ erant à Plinio verissime dicta, eidem pro erratis adscribi nolui permittere, si mihi non sit de moribus apud te tanquam censorem, sed de doctrina potius penes judicem, pro me ipso dicendum.

Difficiliorem aliquando video mihi causam futuram, quoniam mihi sit necessarium à te viro doctissimo, atque amplissima prædito dignitate dissentire, quam tamen rem eo æquiore animo ferre debes, quod sis in ea inclyta civitate Venetiarum natus atque educatus, in qua nemo Cæsar, nemo perpetuus Dictator, à cujus sententia provocare non liceat. Ego quidem sic existimo, quanto aliquis magis opibus atque honoribus præstet, tanto se in litterario certamine æquabiliorem præstare oportere, ne quod rationibus sit obtinendum, id vi extorquere velle videatur.

Nicolaus quintus Pontifex summus, atque idem in suo pontificatu litterarum patronus eximius, cuidam Theologo ipsi familiari, quem aliquando ad disputandum de theologia solebat invitare, hanc sæpè largiebatur veniam, ut ei, non tanquam Romano Pontifici, sed Magistro Thomæ de Sarsana (hoc enim illi fuerat antequam ad Pontificatûs culmen ascenderet, nomen), sine ulla reverentia, aut sacrosanctæ pietatis formidine, responderet. Annon tu quoque, Pontifex Aquilegiensis, in calce tui operis hortaris omnes litteratos, ut liberè de tuis scriptis pronuncient, quod si tu, vel tua quoque taxandi potestatem cunctis concessisti, quanto ego æquius ea in meis defendendis uti potuerim; quare, ut

jam eo jure tecum agam, quod tum cæteris, tum mihi præcipuè qui abs te fui ante notatus, permisisti singula Plinianæ defensionis capita eodem ordine, atque iisdem ferè verbis quibus à te scripta sunt, in medium adducentur, & numquid sufficientem Plinium ab erroribus vindicent, eruditorum judicio subjicietur.

De cistho & hedera.

Non videtur tibi Plinius lib. 12, jure reprehensus, qui cisthon herbam ex qua fit ladanum, hederam nominaverit; quoniam (ut inquis) Paulus Ægineta cisthon hanc, etiam cisson, id est, hederam nominet, & Dioscorides eamdem cissaron, id est hederulam, vocari tradat. Ego quidem, cum veniæ præfatione dicere liceat, doctissime Hermolae, nusquam reperi apud Paulum, aut Dioscoridem, herbam illam ex qua conficitur ladanum, de qua nobis est disputatio præsens, cisson, id est hederam, vel cissaron, id est hederulam, nuncupari; sed potius cisthum aut ledon, sive ladona: hæc enim sunt Pauli verba quarto sui de medicina libro volumine in quo agit de simplicibus medicaminibus verba: λάδανον ἀπὸ τοῦ κισθοῦ τοῦ λάδωνος λεγομένυ γίνεται, id est, ladanum ex cistho ladone appellata fit. Sic Galenus medicamentum id, quod ladanum appellatur, ex cistho, non autem ex cisso fieri attestatur, neque Aetius his ætate aliquanto posterior, non tamen exiguæ apud Græcos auctoritatis Medicus, alia usus est in eadem herba quam cisthi appellatione; alteram tamen huic non longe dissimilem sub qua nascitur hypocisthis, non cissaron, sed cistharum duo isti nobilissimi Medici nuncuparunt. Dioscorides vero alterum cisthi genus sub quo nascitur hypocisthis, tam cistharum, quam etiam cissarum à quibusdam scribit nominari, alterum vero ex quo fit ladanum non cissaron, sed ledon tantùm à quibusdam inquit vocitari; quo fit ut cissari nomen, quod Latinè hederulam rectè dici posse arbitraris, non ei herbæ, ex qua ladanum generatur, sed illi potius sub qua nascitur hypocisthis, etiam Dioscoride teste, conveniat; quæ etiam herba ladanifera, si nomine à

ciſſo, vel hedera diverſo diceretur κίσσος potius quam κισσὸς pronunciaretur, faciendæ gratiâ inter ipſam atque hederam, ſaltem ex accentu, differentiæ. Quare ἀπὸ τοῦ κισσοῦ vox diminutiva formata non hederulam, ſed proprii generis herbam ſignificaret; quod etiam ſit de altera ſub qua naſcitur hypociſthis ſtatuendum, quanquam & Plinius ipſe ciſthum non idem cum hedera nomen, ſed vicinum tantùm ſortitam eſſe inſinuavit. Vicinum autem nomen, vel κίσθος fuerit, vel κίσσος, à quo per diminutionem κίσσαρον, ſicuti ἀπὸ τοῦ κίσθοῦ κίσθαρον, neque vero hanc ipſam plantam, ut etiam tibi conceſſerim, facta ἀπὸ τοῦ κίσσοῦ diminutione, à Græcis ciſſarium nuncupari puto, à Latinis rectè hederulam poſſe nominari, quoniam non ſequitur ut, ſi κίσσος, vel κισσάριον multa ſignificent apud Græcos, plantam ſcilicet ſub qua naſcitur hypociſthis, & hederam vel hederulam, ſi qua inter hederæ ſpecies aliis minor exiſtit, qualis eſt ea quæ à Theophraſto helice non autem ciſſarum nominatur; idcirco & hedera, vel hederula totidem habeat apud Latinos ſignificatus, tanquam is frutex qui arboris ſcandit ac circumvolvitur, tanquam etiam alter ſuffrutex, ſub quo naſcitur hypociſthis, quæ duæ plantæ inter ſe non ſolum genere atque natura, ſed etiam colore atque figurâ plurimum diſtant, hederæ vocabulo comprehendantur.

In hoc ſanè, quemadmodum in multis aliis, errore fuit Auctor pandectarum, qui volens (ut arbitror) Avicennam tueri æque ac Plinium, medicinam utramque confundens, hederæ nomen aliquanto etiam quam cæteri fuſiùs accepit; adeo ut omnem herbam quâ capræ libenter veſcuntur, ab edendo hederam, appellari poſſe putaverit; at tibi homini litteratiſſimo, quem craſſa Minerva dedecet, ſcio hanc rationem non probari, atque ideo non parva me cepit admiratio quo pacto unquam in animum inducere potueris, ut hederæ nomen apud Latinos plantam ex qua fit ladanum, ſignificare poſſe credideris, quum nuſquam inveniri poſſit hujuſmodi ſignificatûs exemplum, quando & Plinius ipſe, lib. 12, dubitare videtur, utrum ſit hedera, vel lada, quam hirci depaſcentes, medicamen id quod ladanum nuncupatur, barbarum villis agglutinent.

agglutinent: Non te ſanè latet, virum tam Græca quam etiam Latina inſignem litteratura, pleraque apud Græcos vocabula multipliciter dici, quæ tamen apud nos non ſervant eamdem ſignificatùs multiplicitatem; nam φιλέω verbum apud illos ſignificat amare & oſculari; amare autem pro oſculari nunquam (ut arbitror) in noſtro ſermone reperies: ſed ut ab ipſis de quibus agitur plantis, ſumatur exemplum, σχῖνος in Græcorum lingua, & lentiſcum arborem & id cepæ genus quod ab ipſis σκίλλα, à Latinis ſcilla appellatur, ſignificat; non tamen in noſtra, lentiſci vocabulo aliud quam arbor deſignatur.

Annon tu Theodorum Gazam quem tamen in Themiſtii editione, præ cæteris imitandum tibi propoſuiſſe fateris, in hoc tamen Plinianarum caſtigationum opere carpis? quod nimium linguæ Latinæ amplificandæ ſtudioſus, id genus raphani agreſtis quod à Græcis ἄπιος, vel ἰσχίας appellatur, quoniam ἄπιος apud illos etiam pirum ſignificat, Latinè dixerit pirum. Quid enim aliud innuere volebas, niſi non eſſe piri apud Latinos æque atque apud Græcos τοῦ ἀπίυ duplicem ſignificatum? Ego vero Theodoro Gazæ in hac parte patrocinari non verebor, quem puto ἄπιον etiam pro raphano agreſti pirum rectè convertiſſe, quoniam id raphani genus idcirco tale nomen apud Græcos ſortitum videtur, quod piri effigiem ſuâ figurâ repreſentat: quare ob eamdem ſimilitudinem etiam à noſtris commode pirum diceretur. Græci ſanè, vel ruſtici, qui ejuſdem raphani uſum, quem & Theophraſtus, & Dioſcorides retulerunt, habent ex perſona compertum, quod ſcilicet pars ejus ſuperior vomitum faciat, inferior vero alvum ciet; nunc etiam chamæpidium, id eſt terreſtrem pirum, vulgo vocare conſueverunt: multa tamen alia ſunt, in quibus judico eumdem Theodorum Gazam minus rectè Latinis vocabulis uſum fuiſſe pro Græcis; nam hoc ipſum (de quo diximus) raphani genus, quoniam non ſolum ἄπιος, ſed etiam ἰσχιὰς vocari à quibuſdam in Græco Theophraſti codice legitur, idem nomen Theodorus caricam tranſtulit, ſed quamvis ita apud Theophraſtum, cujus de plantis volumina magna ex parte ſunt depravata, lega-

tur, neque tu id verbum in Plinio castigaveris. Dioscorides tamen, cujus liber aliquanto emendatior quam Theophrasti apud Græcos habetur, non ischada, sed ischiada potius alio nomine idem medicamentum numcupavit. Qui si etiam ischas (ut apud Theophrastum, & Plinium scribitur) diceretur, non posset tamen caricæ vocabulum in lingua nostra aliquam raphani speciem, quæ nullam habeat caricæ similationem, significare, iisdem rationibus, quas paulo ante de hedera attuli, ausim confirmare. Simili errore, atque aliquanto sanè majore Theodorus Gaza centaurium majus fel terræ nominavit; nam cum Theophrastus lib. 9, de plantis scribat, centaurii radicem ad 10 annos reservari, ac procul dubio centaurium majus intelligat, cujus radix non autem folia, quemadmodum contra minoris folia, non autem radix ad usum medicinæ adhibeatur; hanc in utroque centaurio differentiam non animadvertens Theodorus, ut qui apud Dioscoridem, Galenus, & Plinius etiam forte non legerat, centaurii minoris radicem esse supervacuam, atque ideo nullam esse ipsam reservandi necessitatem, ita illum Theophrasti locum est interpretatus: Publica vero omnium radicum differentia, quod aliæ plus, aliæ minus temporis durant, hellebori enim, vel annis 300 utilis durat; malum terræ aut quinque, aut sex; vernilago 40; fel terræ 12. Pinguis hæc, spissaque admodum est. Jam vero hic error Theodori manifestus apparet, quod scribente Theophrasto centaurii majoris radicem pinguem, ac spissam, cujusmodi eam Dioscorides & Plinius etiam scripserunt, sicuti minoris tenuem, ac nullius in medicimina usus, retulerunt, ipse tamen de minori ea scribi à Theophrasto putavit, quæ nullo pacto eidem conveniebant; atque idcirco centaurium fel terræ vocavit, quo sanè nomine centaurium minus ob eximiam amaritudinem convenientius insignitur, majus vero tantùm abest, ut fel terræ dici possit, ut multo rectius mel terræ vocaretur; nam ejus radix esse subdulcis à Dioscoride traditur, & qui eamdem norunt, ita esse experientiâ comprobarunt: ego sanè scio ipsam ab omnibus ferè Medicis ætate nostra ignorari.

Conciliator quoque (differentia centena), centaurium majus ævo ſuo incognitum fuiſſe teſtatur, licet millies ipſum (ut arbitror) viderit, atque ad opera medicinæ frequenter adhibuerit; quod etiam noſtri temporis Medicis frequentiſſime contigit. At quî fieri poteſt (aliquis inquiet) ut vel Conciliator, vel eo poſteriores Medici, id medicamentum ignoraverint, cujus uſum aliquando novere? nam procul dubio hæc invicem pugnantia videntur. At ſi mihi more Sophiſtarum loqui liceat, illud dicere auſim, centaurium quidem majus à Medicis noſci, non tamen ab eiſdem noſci centaurium majus, quemadmodum eupatorium agnoſcunt, non tamen agnoſcunt eupatorium, in quo ſanè minus, quam in centaurio majore ſunt excuſandi; nam licet hoc non ſolum peregrini, ſed etiam ſit ſoli Itali germen, non tamen in multis Italiæ provenit locis; at eupatorium in pratis, in viridariis, in vepribus, in planitie, in montibus paſſim naſcitur, & niſi conniveamus, ubique ferè noſtros incurſat oculos. A Dioſcoride vero ac Plinio ejus effigies ità deſcribitur, ut penè ante oculos poni videatur. Hæ quales ſint herbæ, quo nomine à noſtris vulgo vocitantur, conſultò celare conſtitui, ne, quod quidam mihi ſuis contra me ſcriptis (ut audio) objecerunt, quod ſcilicet inter te ac me diſcordiam quæſiverunt, tuum videar expectatiſſimum de hujuſmodi rebus præripere velle tractatum.

Redeo ad Theodorum qui & thriallidem bibinellam, & ſcolopendrium linguam cervinam convertit, eodem ſcilicet linguæ noſtræ amplificandæ ſtudio permotus, non ſanè improbando, modo rerum proprietas & natura ſervetur; nam ut de lingua cervina taceam, quæ non eſt Græcis ſcolopendrium, ſed altera potius ab eiſdem hæmionites nominata; illi quidem viribus proxima, figura autem plurimum diſtans, licet tu in tuis caſtigationibus tam ambas ſimiles ſcripſeris, ut difficile ſit internoſcere, ut, inquam, de iſta taceam, ob eam ſaltem, quam habet cum ſcolopendrio proprietatum ſimilitudinem thriallis, omnino differt ab ea quam vulgo bibinellam appellamus; eſt enim altera potius quam Græci tum phlomum, tum etiam thriallida vocant, hoc

eſt elychnium, quoniam pro elychnio in lucernis utuntur.

Latini verbaſcum nominant, quidam recentiores taxum barbatum, pari errore Theodorus milon arborem taxum Latinè dixit, cum tamen taxus arbor non milos, ſed ſmilax à Græcis vocetur, de qua quidem ſmilace Theophraſtus, tanquam arbore differente, ſeorſum à milo tractavit; quo etiam in loco Theodorus Græcam ſervavit appellationem, hoc eſt ſmilacem dixit, ubi taxum potuit interpretari; ubi autem milon ſcribere oportuit, quoniam huic forte arbori nomen lingua Latina non dedit, ipſe taxum nominavit. Quo tamen in errore magis eſt Theodoro ignoſcendum, quoniam & Plinius noſter, ſimili propinquitate deceptus, milon arborem inter meliæ, id eſt fraxini ſpecies, lib. 16, collocavit, quod facile eſt animadvertere, ſiquis quæ de milo arbore, lib. 3, Theophraſtus, quæ de variis fraxini ſpeciebus ſcripſerit Plinius, diligentius inſpiciat.

Vide quot nodi apud Theodorum (male aliquando Theophraſtum interpretantem) & Plinium etiam, implicantur; quod niſi tu eos doctorum doctiſſimus ſolveris, mihi ſanè videntur inexplicabiles. Idem Theodorus chamædaphnen vincam pervincam apud Theophraſtum interpretatur, cum tamen chamædaphne alia ſit planta, cujus deſcriptio apud Dioſcoridem plurimum à vinca pervinca eſt aliena. Cujus etiam vincæ pervincæ naturam, imaginemque accuratius contemplantibus, illa eſſe videbitur, quæ à Dioſcoride ac Plinio pariter clemaridis, atque daphneidos, & polygonoidis nominibus deſignatur : Theodorus inſuper aparinem lappam nominavit, cum tamen lappæ nomen communius appareat, ac ſicuti per excellentiam, perſonatiæ, potius grandes lappas ferenti conveniat. Hi tamen de vinca pervinca & lappa Theodori errores, ex Plinii auctoritate ita eaſdem herbas nuncupantis, habuere occaſionem, quemadmodum & ille haud parvi ſanè momenti, quo æque ac Plinius, Theodorus lib. 6, Theophraſti ciſthum hederam tranſtulit, atque eodem modo in marem diviſit & fœminam, & florem utrique roſaceum adſcripſit, in mare purpuram accedente. Idcirco autem ſuperiora illa in Theodori tranſ-

latione errata notavimus, ut hoc poſtremum quod plurimum meæ, opinioni adverſabatur, exemplo aliorum magis confirmaremus.

Jam enim quidam mihi Theophraſtum objicere moliti ſunt libro 6, interprete Theodoro Gaza, non aliter quam Plinium, lib. 16, hederam dividentem, eumdemque illi florem deputantem; quæ ſi pro veris, atque fideliter ab utroque Auctore ſcriptis recipiantur, nulla dubitatio relinquetur, ciſthum, id eſt ladam, poſſe etiam ciſſum, id eſt hederam, ut tibi video placere, vocitari; & quæ de ciſtho Theophraſtus cæterique Auctores Græci tradiderunt, eadem à Latinis de hedera abſque ullo errore referri. Quare cum in hoc totius controverſiæ noſtræ cardo vertatur, liceat mihi hunc locum, cum bona abs te venia impetrata, diligentius examinare, quando & tibi non fuit indecorum ad levia iſta noſtratia legenda, & judicio cognoſcenda deſcendere. Hactenus quidem de ſolo nomine diſputavimus, liceretne ciſthum utramque, tam eam ſcilicet quæ fert ladanum, quam alteram ſub quâ naſcitur hypociſthis, hederam Latinè appellare. Sed eſto hoc verbum *ciſſos* apud Græcos tam de ciſtho altera planta, quam de vera hedera proferatur, ſicuti vox iſta *canis*, tam de animali terreſtri, quam etiam de cœleſti ſidere dicitur. At quemadmodum neque canem cœleſtem rectè in marem ac fœminam diviſerimus, neque utrumque habere latrandi naturam conceſſerimus, eadem (ut puto) ratione, neque Plinius hederam per maris, ac fœminæ differentias jure partitur, neque utrique florem roſaceum convenienter aſſignat, quoniam hæc ciſtho, non autem ciſſo hederæ à Theophraſto, & Dioſcoride, & ab ipſo Plinio, lib. 24, tribuuntur. Ut enim omittam illam hederarum in marem, & fœminam lib. 16, ab eodem Plinio poſitam diſtinctionem, quam forte quiſpiam omnium plane herbarum fructicum, ſuffructicum, atque arborum communem eſſe contenderet, quis unquam vidit roſaceum in hederis florem? Tantine eſſe debet Plinii, aut Theodori Theophraſtum interpretantis auctoritas, ut illis potius, quam oculis noſtris credere debeamus? Magnus ſanè Philoſophus Ariſtoteles tanti judicium ſenſûs exiſtimavit, ut ubi iſte adſit vanum

putet quærere rationem. Galenus omnium Medicorum Princeps, illos pro insanis habendos putat, qui cum ex sensibus possint habere probationes, eas ex demonstrationibus petendas censent. Avicenna ejusdem Galeni, ut de seipso fatetur, interpres, eos qui sensibus credere nolint, igne exurendos, aut flagellandos judicavit, ut dolorem sentientes, sensuum judicia vera esse perciperent; & rectè quidem hi viri doctissimi sunt arbitrati. Cur enim nobis oculos, & reliquorum sensuum opificia natura concessit, nisi ut, ad prospiciendam, investigandamque veritatem, propriis possimus niti subsidiis? Non debemus profecto ita nosmetipsos destituere, ut aliorum semper vestigia sequentes nihil per nosmetipsos decernamus; hoc enim vere esset alienis oculis videre, alienis auribus audire, alienis naribus odorare, aliena sapere intelligentia, ac nihil nos aliud quam lapides esse, statueret, si omnia aliorum assertionibus committeremus, nihilque à nobis ipsis discutiendum putaremus. Quam tamen opinionem tum in omnibus aliis questionibus, tum in hac præsertim de cisso, & cistho debemus abjicere, ubi tanta inter hederæ florem ac rosam sylvestrem apparet differentia, ut ejusdem rosæ comparatione, hederæ flos aliud potius quam flos, id est lanugo quædam, videatur, qualis in vite, ac moro, ac populo, ac plerisque aliis plantis conspicitur, quæ ita ab aliis discrepant flore, ut ne flores quidem ullos unquam procreare existimentur.

Atque, ut jam ex iis quæ sensu percipi possunt, luce clarius ostendamus, noluisse Theophrastum cissum, id est hederam, sed cisthum potius dividere in marem ac fœminam, ac rosæ sylvestri similem florem utrique subscribere, quæ idem Auctor de hederæ flore scribat, lib. 1, differentiam plantarum per flores ostendens, in medium afferemus. Hæc sunt, ut tu optime nosti, Theophrasti, interprete Theodoro Gaza, libro quo diximus, verba: Nunc illud exploratum habemus per omnes partes, plures differentias vario modo exultare; nam flores alii lanuginei, ut vitis, mori, hederæ, alii foliati, ut amygdali mali, piri, pruni. Ut vero etiam evidentius quid sit apud Theophrastum flos lanugi-

neus, intelligatur, alia ipsius Theophrasti verba de eodem flore lanugineo subtexentur ex lib. 4, ubi ita scribit : Huic plantago similis constat, nisi quod flores non quemadmodum illa particulatim edit, sed per totam spicam tritici modo ; ambobus tamen flosculus lanugineus exit, sicuti frumento & reliquis. Item Theophrastus de re eadem ita 9 vol. edisserit : Quin & floribus differentia tum natura, tum positu data est, de quibus ferè in his quæ in universum digessimus, satis dictum existimamus; scilicet quod alii lanuginei ut omnium ferè germinantium spicam, alii foliis constant, ut leguminum. Quod siquis adhuc etiam qualis sit flos lanugineus, qualisve ei oppositus foliatus, ignorat, ipso Theophrasto exempla non pauca suggerente, primum quidem in vite, moro, plantagine, panico, milio; secundum vero in amygdalo, malo, pruno, & leguminibus contempletur, neque vel minimum dubitabit, quin rosa sylvestris in altero genere florum, quos Theophrastus foliatos appellat, comprehendatur, lanugineis ex adverso distinctos : quare hederæ flos non magis rosæ sylvestris, quam flori mori, vitis, plantaginis, milii, panici similationem continebit. Sed quoniam nonnulli sunt qui mentis aciem longe clariorem quam corporis judicant, atque hebetis, obtusique hominis putant omnia sensûs testimonio, nihil autem probare ratione ; age, & argumentis ex media sumptis philosophia aptissime demonstremus nusquam Theophrastum illam de qua supra diximus in cisso, id est hedera, sed cistho potius, lib. 2, fecisse differentiam, quam tamen ejus auctoritate adversarii contra nos adducentes non adverterunt, simili alterius Theodori scilicet male Theophrastum interpretantis errore, tueri.

Illud mihi tecum non minus Platonica, quam Aristotelica disciplina viro conspicuo primum conveniat, non parvum esse divisionis quâ Philosophi utuntur artificium, quod Plato Philosophus excellentissimus adeo extollit, atque admiratur, ut qui multa in unum rectè collegerit, atque unum in plura rectè dividere scierit, ejus vestigia tanquam Divi cujusdam sectari in dialogo qui Cratilus inscribitur, ex persona Socratis dixerit. Eam-

dem diligentissime divisionis scientiam Aristoteles adeo difficilem ; atque operosam putavit, ut in 2 de partibus animalium libro, animalium genera in proprias species dividere aggressus, quemadmodum ei Galenus noster objecit, titubanti potius ac dubitanti, quam aliquid affirmanti, aut afferenti similis videatur. De hac eadem dividendi facultate apud Latinos Boëtius, apud Græcos Andronicus, ac Theophrastus, libros accuratissime scriptos posteris reliquerunt. Quis vero sanæ mentis dubitaverit, quin ea, quæ in eisdem libris dividendi præcepta traduntur, ipsius artis præceptoribus notissima fuerint ? sunt autem hæc, ut Galenus non minor penè Philosophus quam Medicus in præfatione artis curativæ ad Glauconem exposuit, summa atque præcipua artificiosæ divisionis decreta, ex Platonicæ disciplinæ thesauris accepta, à primis, supremisque esse incipiendum, deinde hæc in alia genera, species, differentias resecandum, atque hæc ipsa rursus eodem modo partiendum, donec tandem ad eas pervenerimus species, quæ amplius divisionem non admittunt. Verum nunquid hanc dividendi normam, ac regulam observaverit ipse divisionum Magister Theophrastus, videamus. Si enim Plinio, & Theodoro, Theophrasti sententiam libro 6, interpretantibus, credimus, illa hederarum in duo prima discrimina marem scilicet fœminamque partitio, à Theophrasto, lib 3, est omnino prætermissa ; quo tamen in loco omnia hederarum genera, ac species usque ad ultimas, per proprias singula differentias, partiri statuerat. Deinde libro 6, ubi nulla erat de hederis narratio oportuna, si Theodorum interpretem sequamur, ponitur.

Quod cum Plinio visum esset absurdum, lib. 16, ubi de omnibus hederarum generibus agere proposuerat, ab illa ipsa divisione per marem, ac fœminam censuit inchoandum, cujus alibi meminisse, ac non ubi præcipua foret tractatio de hederis, magnam esse erroris partem existimavit.

Nemo vero illud objicere audeat has maris ac fœminæ differentias eo in libro, in quo de hederis scribere accuratius instituerat Theophrastus, ab ipso tanquam inutiles fuisse neglectas, cum easdem

easdem differentias, ubi haberi possint, vel solas, vel maximas, in sylvestrium plantarum genere qualem esse hederam constat, primas assumi oportere, primo sui de plantis libri volumine idem Auctor affirmet. Sicuti vero omnia hederarum genera, seu species, sub uno communi genere quod hedera appellatur, continentur; ita & hederæ genus ad aliud genus superius refertur, quod frutex nuncupatur, quodque ab ipso Theophrasto, qui omnes plantas quatuor distinguit generibus, arborum, fruticum, suffruticum, atque herbarum, ab aliis tribus ponitur naturâ distinctum. Liquet autem Theophrastum, libro 6, non de fruticibus, sed de suffruticibus potius herbisque tractare; hæc enim ab ipso in ejusdem libri exordio scribuntur: De arboribus dictum jam est, nunc de suffruticibus, & herbis doceamus. Consequitur: Et siqua in hisce alia genera comprehenduntur, illa quoque annotemus oportet ut fruges, nam hæ quoque inter herbas deputari desiderant, sed primum verba de suffruticibus faciamus. Demum Theophrastus, eo quo promiserat ordine prosequens, ita de suffruticibus loquitur: Sunt autem eorum genera quam plurima summis differentiis discreta; cisthos, vel ut Theodorus interpretatur, hedera, melotrum, rubea, cassia, origanum, satureia, lens, salvia, marrubium pollicarifolio apiastrum cæteraque hujusmodi, atque etiam quæ minus similia sunt, siquidem ferulacea & nervicaulia constant, fœnicleum æque, ferulago, ferulaque, herba muralis, sive muricidacea à quibusdam vocata, cæteraque similia. Hæc enim omnia (atque in torum ferulaceum) suffruticum naturæ addixeris: Genera vero, atque discrimina, singulis hisce indicamentis habentur aliis evidentiora, aliis occultiora; cisthi namque, vel secundum interpretem, hederæ duo genera, mas ac fœmina, quoniam altera majus, durius, pinguiusque folium habet, floremque ad purpuram inclinatum, ambabus tamen flores rosis sylvestribus proximi, verum minores, & sine odore.

Cum igitur Theophrastus & in ipso protinùs sexti libri principio dixerit antea se egisse de fruticibus, jam de suffruticibus atque herbis spondeat tractaturum, primoque in loco de suffruticibus in qua pri-

ma tractatione hederam (vel potius cisthum , ne errorem interpretis incurramus), melotrum, rubeam, ac cætera quæ sequuntur, naturæ suffruticum censeat adscribenda, quis dubitaverit, hoc ipso in loco libri 6, nullam de hedera facere voluisse mentionem, quam superioribus libris fruticum generi addixerat, de qua præterea libro 3, arborum ac fruticum tractatione abundè differuerat?

Neque vero quispiam ex eo decipiatur ut, quoniam hæc *frutex* atque *suffrutex* apud Latinos vocabula unâ syllabâ tantum differunt, minimam quoque existimet in rebus ipsis differentiam; nam eadem genera apud Græcos sunt tam vocabulo, quam etiam nomine diversa. Alterum enim θάμνον, alterum φρύγανον idem Græci vocant, quæ duo verba, cum non posset Theodorus commodiùs exprimere, fruticem atque suffruticem transtulit: quare nisi velimus Theophrastum, summum Philosophum, qui non modo de naturis rerum, sed de dialectica & dividendi ratione, atque doctrinâ libros ornatius ac copiosius, quam ejus præceptor Aristoteles, multorum judicio conscripsit, tam pueriliter aberrasse, ut hederam aliquando in fruticum, aliquando in suffruticum genere collocaret; ut in ea quam fecerat, libro 3, hederarum dictione, suæ doctrinæ præcepta negligeret, ac more quoque (ut Plato inquit) inepti, duo statim prima genera prætermittens, quodammodo membra disrumperet; ut hederam aliquando in suffruticum genere collocaret; ut sibi ipsi pugnantia scriberet atque contraria, hederæ florem nunc lanugineum, nunc foliatum asserendo; ut denique ea quæ omnino sensui adversantur in ea historia, in qua pleraque visu magis quam ratione dijudicari fatetur, affirmaret: illud potius existimare debemus Theodorum Gazam unà cum Plinio, quod in Theophrasti libro 6 fortè cissum pro cistho scriptum invenissent, unius litterulæ immutatione fuisse deceptos, ideoque illa hederæ tribuisse quæ Theophrastus de suffrutice, longe ab hedera differente, tradiderat: quo quidem errore, cum Plinium, libro 16, lapsum manifestissimè videamus, quid est quod dubitemus ipsum etiam libro 12, itidem fuisse (ut tuo

utar vocabulo sæpiùs de hoc Auctore prolato) hallucinatum, quandoquidem ex Græci codicis mendo, ità hîc sicuti in prasso & prasio, eadem errandi dabatur occasio. Equidem Theodoro Gazæ, in Theophrasti translatione non raro aberranti, veniam puto impartiendam; quoniam, ut in præfatione sui operis ipse conqueritur, unicum tantùm, eumdemque mendosum codicem habuit; nisi quod oportuit diligentem interpretem rerum naturam potius spectare, quam verba. Quâ diligentiâ si Plinius etiam usus fuisset, neque tibi tot in ejus libris proprias hallucinationes castigandi, neque mihi tam multos errores notandi, necessitas foret adjuncta.

Quoniam vero, in hoc de cisso & cistho errato, quod erat tam Theodoro Gazæ, quam etiam Plinio commune, longior fortasse fui, quàm cuique necessarium videretur, reliqua demum, quæ circa Plinium tantùm disputantur, atque adversus nos pro eodem Plinio, abs te fuêre defensa, pro nostrâ tuendâ sententiâ, quàm brevissimâ oratione poterimus, confutare tentabimus.

De chamædaphne.

In chamædaphne, lib. 15, veterem lectionem distinctiorem putas, si ita scribatur: Est & chamædaphne sylvestris frutex, & Alexandrina, ut duo genera intelligantur; alterum chamædaphne, quam Latini laureolam (ut tu inquis) appellant, cum tamen ea quæ hodie laureola Latine dicitur, non sit chamædaphne, sed daphnoides potius, statim postea à Plinio descripta; alterum laurus Alexandrina, ex Plinio, Galeno, Dioscoride. Tu quidem Plinium hoc pacto excusas, ne videatur chamædaphnem variis in locis varie designasse, cum hoc in loco, libro scilicet 15, laurum Alexandrinum tantummodo pinxerit, sicuti libro 24, chamædaphnem. Sed duo remanent in Plinio scrupuli haudquaquam dissimulandi: cur, cum Plinius cætera lauri genera eodem libri 15 loco descripserit, solam chamædaphnem indescriptam reliquerit? cur, cum alterum genus non Alexandrina simpliciter, sed laurus Alexandrina à Theophrasto, Dioscoride, atque Galeno, ab om-

nibus denique Græcis Auctoribus vocitetur, Plinius propriâ appellatione prætermifsâ, fumptum à loco vel perfonâ, cognomen tantummodo pofuerit; vel cum poftea fubjunxit, alii daphnem vocant, proprium nomen contra naturam poftpofuerit, cum tamen vera hujus fruticis appellatio non fit, neque Daphne feorfum, neque Alexandrina, fed hoc totum, ut diximus, Daphne Alexandrina?

De adarce.

In adarce falli eos putas qui verbum *paluftris* recto cafu, non autem paterno capiendum putant, atque ideo credidere non de falfilagine calamis adhærente, fub adarces vocabulo, à Plinio agi, fed potius de paluftri calamo adarce nominato; unde temerè factum putas Plinio negotium. At cum index capitis 32, libri 16, agi de calamis, atque fruticibus non medicinis, ea parte demonftraret; cum ipfe præterea continuus fermo tractans de diverfis arundinum fpeciebus quibus adarce adnumeratur, cuivis facilè perfuadeat Plinium eo in loco putaffe adarcen non effe falfilaginem, fed paluftrem calamum in Italia nafcentem, nemo negotium Plinio nifi ipfemetipfi faceffit. Quid enim fibi vult illa repetitio: Eft enim obliqua arundo non in excelfitatem nafcens, fed juxta terram fruticis modo fe fpargens, fuaviffima in teneritate animalibus eft, & in Italia nafcens; adarce paluftris fub ipfa coma utilis dentibus, quoniam vis eadem eft quàm finapi: quid, inquam verbum *eft* bis pofitum à Plinio infinuat, nifi ita effe adarcen ex arundinum genere, ficuti obliquam arundinem à quibufdam vocatum elegiam? Si etiam verbum *paluftris* paterno cafu capiatur, afpera nimis atque auribus abfona fiet Pliniana elocutio: quod fi præterea verbum *arundinis*, ut neceffarium fore videtur, fupplendum fit, præciffa quodammodo atque defecta oratio videbitur. Cur vero ea falfilago nafci in Italia à Plinio dicatur, cum in Galatia non autem in Italia gigni illam Diofcorides fcribat, ut mirum videri poffit te qui velis Plinium de eadem loqui falfilagine, de qua Diofcorides, verbum illud *Italia* non cafti-

gaſſe, ac loco ejus Galatia non poſuiſſe? cur etiam hæc medicina ſub ipſa coma tantùm utilis dentibus à Plinio judicetur, quam Dioſcorides, Galenus, ac Paulus, in omni parte calamorum quibus hæret, quamvis ad alios uſus quam dentium, probaverunt? nam & Plinius ipſe libro 32, ubi adarcen quid ſit, non aliter quam prædicti Auctores exponit, naſci illam circa arundines tenues, nulla facta de loco ſub coma mentione, ſimpliciter protulit; neque in paludibus, ſed ubi ſpuma aquæ dulcis ac marinæ ſe miſcent, quod maximum eſt argumentum hîc quidem libro ſcilicet 32, de adarce ſalſilagine fuiſſe locutum; libro vero 16, de altera quam eſſe arundinis ſpeciem falſa ſibi opinio perſuaſerit, de qua etiam intellexit, lib. 2, ubi ita ſcripſit: Sinapis naturam habere traditur adarca inter ſylvas tacta cortice pleniore, ſub ipſa coma naſcens; ita enim ego hunc locum puto legendum, paucioribus ſyllabis quam in tua caſtigatione mutatis; nam & id verbum *pleniore* ſi ita jaceat, eamdem ſententiam exprimit, quam ſupra, libro 16, poſuerat, efficaciorem ſcilicet eſſe dentibus adarcen, ſub ipſa coma. Vel poſſumus ex uno verbo duo facere, atque ita legere: Cortice plane ori ſub ipſa coma naſcens: quaſi eam naſci ad utilitatem oris, cujus dentes ſunt non minima pars, velit inſinuare; quod pariter his quæ lib. 16 de ejuſdem medicinæ ad dentes uſu teſtatus fuerat, mire conveniet. Illud quoque pro noſtra facit ſententia, quod Plinius nuſquam adarcen eſſe ſalſilaginem, niſi libro 32, monſtravit, ubi eam calamachnen nominavit, quamvis vitio codicis id verbum corruptum ſit in calamochnum, quo etiam in loco eoſdem illi ſubſcribit effectus, quos Medici veteres ſalſilagini tribuunt, alios ab illis quos lib. 16 in adarce retulerat. Neque vero hoc poſtremo libro, quicquam meminit ſe in præcedentibus de eadem adarce ſcripſiſſe, ſicuti libro 20, cum de ipsâ verba faceret, eamdem ſe inter ſylvas tetigiſſe, teſtandum exiſtimavit. Hæc enim omnia manifeſtiſſimè probant Plinium variis in locis, varia de adarce ſenſiſſe, quam aliquando calami ſpeciem, aliquando ſalſiginem calamis inhærentem ſignificat.

De æra & ægilope.

In æra ac ægilope nescio an magis accusandus sit Plinius, qui in rebus adeo vulgatis, quibus nomina Latina non deerant, Græcis utendum censuerit; an potius, quoniam de eisdem herbis Græca appellatione monstratis illa affirmaverit, quæ sensus falsa esse deprehendit. Tu vero de æra hoc pacto pro Plinio respondes, quod cum Græci traderent lolium strangulare circumligando se triticum, neque id in Italia magnopere foret compertum, tutius esse cogitavit Græca uti voce, quam Latina, æram id dicendo, non lolium. Laudarem Plinii consilium qui Græcorum mendacia siqui forte fuissent) qui tam insigniter mentiri voluissent, ut scriberent lolium circumligando se, triticum enecare, rem neque in Græcia, neque in Italia compertam), sub Græcæ vocis obscuritate, occultare studuisset; nisi *æra* vocabulum adeo esset in eorumdem Græcorum lingua usitatum, ut ejus significatus neminem lateat, qui vel parum Græcas litteras degustavit. Ut tamen Græcos Auctores, viros sanè doctissimos qui de plantis scripserunt, atque inter cæteros Theophrastum, quem præcipue de agricultura scribens Plinius imitatur, tanti erroris suspicione liberemus; hic nusquam de æra, seu lolio scripsit, quod triticum circumligando se enecet, sed solum auferendo alimentum, quoniam tritico adnascitur. Hæc enim sunt ejusdem Theophrasti verba libro scilicet de causis plantarum: Quippe orobanche vocata, ervum enecat amplexu, compressuque suo, & linodorum fœnum-græcum interimit protinus radici adnascens, & alia cladem aliis inferunt, ut quæ cum singulis frugibus simul proveniunt, ceu lolium, atque avena tritico, atque hordeo, & lappa lenti, & alia aliis: omnia tamen idcirco interimunt, quia pabulum tollunt.

Ex his Theophrasti verbis quorum magna ex parte sententiam Plinius, libro 18, ubi agit de vitiis frugum, studuit exprimere, facile ostenditur Pliniani erroris in æra & ægilope origo. Quia scilicet paulo supra Theophrastus fecerat de orobanche mentionem,

quæ amplexu suo ervum strangulat (inde enim illi apud Græcos nomen) existimavit eamdem esse æræ & ægilopi, quorum alterum lolium, alterum avenam Theodorus convertit, interimendi rationem; atque immo, post factam de orobanche mentionem quæ circumligando se ervum enecat, postea Plinius subjunxit; Triticum simili modo æra enecat, hordeum, festuca quæ nominatur ægilops: cum tamen Theophrastus, quem, ut videre est, de eisdem rebus Plinius scribens, quantum potuit, studuit imitari, cum Theophrastus, inquam, omnia quidem de quibus eo disserit loco, vicinas herbas scribat interimere causa illa generali quod pabulum tollunt, variis tamen hoc illa modis facere doceat; nam orobanchen quidem quia ervum amplexatur, & comprimit, linodorum vero quia fœnu-græci radici adnascitur, lolium autem atque avenam quia cum tritico atque hordeo proveniunt, ceu aparinen (quam nescio an rectè Theodorus lappam interpretatur) cum lente; nullam vero ex illis tribus habere se vinciendi, ac circumligandi naturam, quicumque eas noverit, minime dubitaverit, nisi quod de aparine forte possit concedi, quam Galenus, libro 1 de alimentis, ita se lentibus circumplicantem, neque aliter angentem, ac strangulantem quam orobanche ervum, describit.

De ægilope.

Cur ægilopen potius, quam avenam eodem in loco dixerit Plinius, eam rationem affers, quod cum Græci duo avenæ genera facerent, bromum scilicet & ægilopen, hoc vero discrimen nemo reddidisset in Italia; ob id Plinius libro 18, cum avenam inter vitii frumenta collocasset, paulo post de festuca quæ vocatur ægilops, edisserit; non quod nesciret avenæ id esse quoddam genus, ut nonnullos cavillari inquis, me scilicet, innuens, quem licet aperte non nomines, his tamen qui meum libellum legerint facile das agnoscendum, sed quod alterum quoque fastigium celebrari novisset bromos nomine. Hæc tu pro Plinio. Ego vero, ut cavilli crimen cujus me notasti deprecer apud te, cui magis ve-

lim meos mores probari quam doctrinam, nusquam Plinium per calumniam reprehendi, quod nescierit ægilopen esse quoddam avenæ genus, sed ob id tantum incessi, quod eodem capite modo Græca, modo Latina voce in eodem avenæ genere uti voluerit; nam quod scribit Plinius, lib. 18, avenam esse frumenti vitium, & hordeum in eam degenerare: hoc idem Theophrastus, libro 6 de plantis, & Galenus, libro 11 de alimentis, de ægilope etiam testantur. Quod vero etiam paulo post Plinius ait, ab ægilope hordeum necari, idipsum Theophrastus, libro 5 de causis plantarum, licet alio modo quam Plinius, ægilopi tribuit.

Alterum quoque fastigium Plinius, si non eodem capite, saltem libro, aliquando bromum, aliquando avenam nominavit, ut inexplicabilis ratio videatur, cur Plinius in eisdem generibus nunc Græcam, nunc Latinam proferat vocem. Bromum ex Oriente advectam libri 18 capite 10, Plinius refert; sed eamdem bromum ejusdem libri capite 12, antea avenam fuerat interpretatus, ubi ea scribit: Tunicæ frumento plures, hordeum maximè nudum, & silica, sed præcipue avena, calamus altior frumento, quam hordeo, arista mordacior hordeo. Hæc ferè omnia sunt ex Theophrasti, lib. 8, quamvis corruptè pleraque translata; nam Theophrasti de eisdem rebus scribentis verba sunt ista: *Ἅμα δὲ ὁμὲν ἐν χιτῶσιν πολλοῖς ἡ δὲ, γυμνὸν μάλιςα γὰρ δὴ γυμνο σπέρματον ἡ κριθὴ, πολύλοβον δὲ ἡ τίφη, καὶ ἡ ὀλύρα, καὶ πάντα τοιαῦτα, καὶ μάλιςα πάντων ὡς εἰπεῖν ὁ βρόμος, ἐςι δὲ καὶ ὑψηλότερον ὁ κάλαμος τοῦ πυροῦ καὶ τῆς κριθῆς, καὶ τὸν ςάχυν ἀπηρτημένον ἔχει τοῦ φύλλυ ὁ πυρὸς, ἥδιον δὲ τὸ ἄχυρον τοῦ κριθίνυ τὸ πύρινον*, hoc est, ut Theodorus interpretatur, ad hæc triticum tunicis integitur multis, hordeum nudum consistit, id enim omnium maximè caret tegmento. Tipha quoque & siligo, & omnia hujusmodi multiplici folio includuntur. Ast omnium maximè (ut ita loquar) avenam natura operuit, quin etiam culmus altior tritico quam hordeo est, spica plus discreta à foliis emicat, palea quoque suavior ex tritico quam hordeo. Siquis conferat Plinii verba supra posita his quæ de

de lib. 8, Theophrasti subjunximus, non puto dubitabit quin Plinius, sicuti tunicas frumento plures, contra hordeum maximè nudum ad Theophrasti, scripsit imitationem, ita etiam in cæteris sequendo Theophrastum, βρόμον πολύλοβον, id est avenam maximè opertam (veluti interpretatur Theodorus) dicere voluerit. Cur verò sensu contrario maximè nudam scripserit, non magis scirem reddere rationem, quam cur idem Plinius ægilopen circumligando se, hordeum dixerit interimere, cum nulla avenæ species quæ id faciat agnoscatur, sicuti neque lolii, quod tuam alteram in æra destruit defensionem, ideò scilicet Plinium æram dixisse non lolium, quare ipsi plus lolii speciem, quam lolium significare videatur; nam æque ignoratur ubi terrarum talis lolii species oriatur quæ circumligando se triticum enecet.

Sed cur Plinius in his adeo apertis erroribus tam operose defenderetur, abs te præsertim qui scias hoc ipso in loco, ubi Plinius æræ, atque ægilopis naturam pervertit, in tantum fuisse hallucinatum, ut teramnum, & ateramnum, quæ duo vocabula, *coctile*, atque *incoctile*, leguminum affectus, plerisque in locis apud Theophrastum significant, ipse pro herbis noxiis acceperit, quarum altera, ateramnos scilicet, circa Philippos in pingui solo interimat fabam, teramnos vero in macro, cum quidam ventus afflaverit. Quem quidem adeo crassum Plinii errorem nesciens aliter excusare, locum esse vitio codicis decurtatum suspicaris, quin etiam, lib. 9, capite 16, mirari te dicis Plinium eosdem pisces modo Græcè, modo Latinè nuncupare, quod & in rebus aliis veluti in herbis Plinium plerumque facere non diffiteris, nihil testantem eædemne sint an diversæ. At si hoc idem in aliis genus erroris Plinius admisit, cur non etiam in æra, ac lolio, ægilope, & avena potuit admittere? vel si in hoc Plinius non erravit, cur tibi dedit in aliis similibus de se admirandi occasionem?



De glasto, isatide.

Si ubi de isatide inter lactucas sponte nascentes, libro 20, scribitur, pro sylvatico glastum, ut tu id verbum castigandum opinaris, legatur, non adeo nos elidemur qui Plinium hoc in loco indiligentiæ accusavimus, quantum Plinii lectio quodammodo violabitur, quoniam à sylvatico ad glastum longinquus est transitus. Quare vel nihil immutandum esse, sicuti videri in manuscriptis codicibus asseris, aut si *glastum* loco verbi *sylvaticum,* quamvis violenter, intrudatur, jure Plinium à nobis fuisse reprehensum, nisi hæc castigatio adhiberetur, judicasti. Quantum vero rectiùs totus iste locus in Plinio emendabitur, si ita legatur : *Alterum est genus quod Græci isatidem vocant*: ubi pro *isatim* seu *isatidem*, verbum *Esopus*, quod neque Græcum est, neque Latinum, si pro aliquo lactucæ genere accipiatur, tuam subterfugisse censuram, non parum sumus admirati. Tertium est genus *in sylvis nascens, sylvestrem isatim vocant*, hîc enim diligenter advertisti ex manuscriptis codicibus, nisi ita legatur, locum fore defectum : Erit igitur secundum lactucæ sponte in arvis nascentis genus, non Esopus, sed isatis simpliciter appellata; tertium, quod in sylvis gignitur sylvestris isatis; quartum vero genus, quo infectores lanarum utuntur, non sylvatica isatis, hæc enim est secundo generi adjuncta differentia, sed potius sativa dici debet, differt autem hoc quartum genus à secundo, quoniam istud seritur, illud in arvis sponte nascitur. Si itaque glastum, ut rationabilius apparet, nullo modo interponatur, jam nulla dubitatio relinquetur; ità in hac herba sicuti in plerisque aliis familiarem sibi errorem Plinium incurrisse, quando eam sub variis nominibus quasi essent duæ, non una, in locis adeo distantibus designavit.

Pari idem incuria atriplicem holus sativum, atque etiam sponte nascens, modo Latina, modo Græca appellatione, tanquam herbas differentes enarravit; unde etiam illud est consecutum, ut effectus aliquando contrarios utrique subscripserit. De atriplice siquidem, atque ejus proprietatibus, cum libro vigesimo secundo

differuisset, eamque ex auctoritate Pithagoræ ad morbos regios, & pallorem facere tradidisset; mox, de eadem sub chrysolachani vocabulo, libro 27, scripsit fuisse aliquos qui traderent, illam alligatam regium morbum habentibus, ita ut spectari posset, sanare id malum; quem etiam effectum de semine si bibatur cum melicrato, auctor gravissimus Dioscorides, & plerique alii Medici testificantur. Esse vero eamdem herbam à Romanis atriplicem, à Græcis autem chrysolachanum nominatam, tibi probare supersedemus, ne id agentes Græcorum proverbio subjiciamus, *sus Minervam*. Aliter enim aliis qui ausi sunt supra calceum ascendere, aliter tibi, Hermolae eruditissime, non solum magnarum, sed etiam minutissimarum rerum scientia prædito, scribendum judicavimus: tibi, inquam, qui Plinium in verbi *prasion* ambiguitate sæpè hallucinantem notavisti, quæ forte hallucinatio causa fuit ut de ballote, lib. 27, scriberet, quam idem Plinius, lib. 20, sub marrubii nigri nomine notificaverat. Taceo mille alios hujus generis apud Plinium errores, ne multa quæ tu in tuis castigationibus lectores commonuisti, nunc te velle docere videamur.

De personatia ac persolata.

Ego Plinium in meo libello notandum putavi quod libro 25, eodem capite, bis personatiam descripsit, quam sicuti Græci utroque in loco arctium nominavit, altero tamen personatiam, altero persolatam, ut tibi video placere, dici Latine insinuavit. Quam distinctionem nominum à Plinio cognitam ais à quibusdam non fuisse perspectam ob eam, ut puto, rationem, quod ego, lib. 25, altero in loco, ubi de arctio fit mentio, pro persolata, personatiam scribendum putavi. Sed cum tu quoque fatearis persolatæ vocabulum à *persola* esse deductum (quod nomen apud Latinos, teste Placidio Grammatico, qui de Plautinis nominibus scripsit, personam significat), sive personariam, sive persolatam altero in loco legeris, nihilo magis ab errore Plinius eximitur, qui bis eamdem herbam modo sub personatiæ, modo sub persolatæ vo-

cabulo , eodem etiam capite pinxit. Sed tu forte non adeo Plinium defendere, quantum me accusare, voluisti, qui Placidium Grammaticum non viderim ; ego vero id crimen in homine nulli rei minus, quam verborum studio incumbente, non multum puto inexpiabile, sed unâ aquæ guttulâ ablui expurgarique posse. Illud aliquanto difficilius in Plinio excusari queat, quod ex tantilla nominum varietate rem diversificari, hoc est aliam esse herbam persolatam, aliam personatiam, judicaverit.

De echio, atque alcibio.

Non reprehenderemus Plinium scribentem, lib. 27, se, qualis esset, alcibios apud Auctores scriptum non reperisse, nisi ipse Plinius, lib. 25, eamdem alcibium sub echios nomine, eodem quo Dioscorides modo, pinxisset ; adeo ut Plinius putasse videatur aliam esse echin ab alcibio, quam tamen non differre in nostro libello probavi, quoniam eosdem effectus, tam de echi quam de alcibio, & Plinius ipse, & cæteri Auctores prodiderunt ; qui etiam Auctores, non seorsum de echi, seorsum vero de alcibio, quemadmodum Plinius, sed de echio tantùm quam alio nomine vocari alcibiadium testantur, tractavere.

Cum vero tibi videatur ea quæ dicatur echios atque alcibiadium, diversam esse ab altera quam Nicander echin atque alcibium appellat, ego me fateor hanc apud Nicandrum distinctionem non agnoscere : illud satis habeo exploratum in libro Dioscoridis, vel Pauli, nullam hujusmodi nominum, ac multo minus rerum differentiam deprehendi, quandoquidem de echio, atque alcibiadio agentes, non alias illi vires adscribunt, quam echi atque alcibio Nicander ; ut vero proximius sit non differre, sive echis, sive echios, sive alcibium, sive alcibiadium, eadem herba à diversis Auxctoribus nominetur, quemadmodum qui eam alcubiacum, non autem alcibiadium vocant, rem planè eamdem, non diversam, intelligunt.

De heliotropio.

Ubi de heliotropio ſcribit Plinius, ais quibuſdam videri eumdem auctorem heliotropium cum cichorio confundere, quoniam & heliotropium cæruleo flore deſcribat, & cibo gratam eſſe dicat, quæ duo cichorio conveniant: ego vero & alia adjunxi quæ de heliotropio ſcribit Plinius, cichorio pariter congruentia, ut quod ſemipedalem altitudinem non excedat, & non niſi pingui, cultoque ſolo naſcatur; quæ omnes notæ aggregatæ cichorium manifeſtè deſignant. Tu vero priores duas ita refutas, quod nihil impedit gratum veſcendo eſſe tam heliotropium quam cichorium, nec conſtat in Dioſcoride λευκὸν ἄνθος, id eſt candidum, an γλαυκὸν, id eſt cæruleum, ſcribere oportuerit. At ut ad utrumque reſpondeam, & de cichorii radice quod eſui ſit, & de flore quod cæruleus ſit, ſenſu atque experientiâ probatur; quæ de heliotropio non audes affirmare, quando etiam in dubium revocas, qualis heliotropii flos à Dioſcoride deſcribatur, cæruleus an candidus. Ego autem illud certè ſcio multos quos vidi, & quidem antiquos Dioſcoridis codices, λευκὸν, non autem γλαυκὸν ſcriptum habere, & niſi mea me fallit opinio, puto te eamdem ſcripturam in tua tranſlatione ſecuturum.

De laſine.

Quoſdam ais verbum *laſinem* corruptum eſſe neſcientes, Plinium culpare, quaſi hanc herbam, lib. 24, inutiliter repetierit, laginem vocando, non laſinem. Tu verò pro laſine jaſionem cenſes legendum ex Theophraſto, tam libro Plinii 21, quam etiam 22; atque ideo aliam ſtatuis à lagine, de quâ idem Plinius agit, libro 24. Demum ut meæ modeſtiæ conſulam, mihi putas recantandum, quoniam non ſit tanta inter laginem, atque jaſionem affinitas, quantam tibi viſus ſum exiſtimare, quaſi vero ego in noſtro libro tenuem tantum vocis ſonum ſecutus, ac non multo magis naturæ proprietates, eamdem eſſe cum laſine laginem apud Plinium judicaverim; quoniam quæ de laſine, lib. 22, ſcripſerat

Plinius, eadem ferè in lagine lib. 24, repetiit, ut quod phthisicos juvet, quod lactis ubertatem faciat, quod infantibus illita capillum alat, quod in cibis placeat, quod ventrem stimulet. Sed vide quantum mihi contulerit, cum te homine doctissimo, de hujusmodi rebus disputatio : ea enim quam tu adduxisti, auctoritas Theophrasti, longe me fecit ad ea, quæ pridem scripseram confirmanda audentiorem, nedum moverit ad recantandum; nisi recantate pro eamdem repetere cantilenam, accipiatur.

Suspicari me in meo libro scripsi, quod utrobique & libro scilicet 22, & lib. 24, pro lasine, vel lagine, & elxine, & cusine legi deberet. Adeo non nescivi, quod tu mihi objicis, verbum *lasinem* esse corruptum, ut etiam quo pacto castigandum esset, admonuerim; cujus castigationis illa ratio fuit, quoniam Plinius, eodem libro scilicet 24, non modo laginem, sed etiam echitem, & tenue scamonium eamdem herbam à quibusdam vocari testaretur : ego vero non agnoscerem plantam quæ proprie tenue scamonium dici posset, præter illam quam Dioscorides sub elxines, euxines, & cissampeli quoque nominibus pinxit, foliis hederæ similibus seque omnibus invenerit circumvolventem, ob quam eriam naturam sicuti Dioscorides cissampelum, ita Plinius convolvolum alibi nominat. Sed de quo antea tantum suspicabar, nunc certam ex Theophrasto habeo noritiam, in cujus codice, quem scis etiam Plinianis esse corruptiorem, sic pro jasione elxinem, vel eusinem, veluti apud Plinium pro lagine, vel lasine, puto scribendum. Nam de lasine Plinius lib. 21, ita scribit : Lasine unum folium habet, sed ita implicatum, ut, unum cum sit, plura esse videantur. Theophrastus autem à quo, ut par est, Plinius accepit, de flore jasionis, lib 1, de Historiâ plantarum, eadem quæ Plinius de flore lasines tradit, in hæc verba : Nonnulli folio uno emergunt, descriptionem tamen plurium ostendentes, ut flos in jasione. Nonne hæc flori ejus herbæ, quam Græci elxinen atque cissampelum, Plinius, ut dixi, convolvolum alibi vocat, mire conveniunt? est enim hic flos, ut Plinius inquit, rudimentum naturæ lilia facere condiscentis, & cum unum folium tantum habeat, quibusdam tamen quasi incisu-

ris ita distinguitur, ut videatur in quinque divisum. Eadem autem herba dicta Latine convolvolum, sicuti hoc in loco, libro scilicet primo de Historia Plantarum, apud Theophrastum, pro elxine, vel eusine vitio codicis jasione nominatur, ita lib. 2, de causis asine æque corruptè vocatur, quod tamen verbum Theodorus volucrum vertit. Quare, cum Dioscorides, atque Galenus multo sunt, ut te non latet, tam accuratæ doctrinæ viri in lingua Græca emendatiores quam Theophrastus in eadem, vel Plinius in nostra, quid est quod dubitemus laginem & lasinem apud Plinium, jasionem autem & asinem apud Theophrastum nomina itidem depravata ex verioribus codicibus castigare; cum præsertim quid sit Græcis elxine, vel eusine, quidve Latinis convolvolum, vel sensu ipso monstrante noscatur; quid autem sit eisdem Græcis jasione aut asine, seu Plinio lasine, vel lagine, ab illis etiam qui se omnia in Plinio scire profitentur, ignoretur?

De sio & silao.

Male me Plinium accusantem quasi duas herbas fecerit quæ sit una, in tuis primis defensionibus notavisti, quoniam tibi non videatur sium esse *crisiones*, sed tantùm similis herba. In secundis contra me latam sententiam penè revocasti, nam *silaum* verbum esse corruptum in Pliniano codice, & laver potius esse legendum judicasti, cujus descriptionem tu quoque fateris ad ejus oleris naturam proximè accedere quod Græci sion vocant, & quoniam Dioscorides ait sium à Romanis laver appellari, quam tu etiam concedis esse illam herbam, quam vulgo *crisiones* appellant; ita tandem mecum & cum Dioscoride sentis, quod sium quidem sit laver, sed laver odoratum, quandoquidem sium herba est odorata, teste Dioscoride, laver, sive crisiones minimæ. Sed cum idem Dioscorides duo sii genera faciat, alterum odoratum, ob quam naturam juncus aromaticus alio nomine dicitur, alteram inodorum, quod quia nasturtii refert saporem, ideo etiam cardamine à Græcis vocatur; cur, sicuti duplex est sium, atque,

ut tu quoque insinuâsti, laver odoratum scilicet & carens odore, non etiam crisiones quidam esse inodori, quidam odorati dicantur? Quo quidem admisso, mea stabit sententia, sium esse eam herbam, quam crisiones nominamus, quam cum bis descripserit Plinius, & sub sii, & sub silai, sive, ut tu legendum putas, laveris nomine, jure est à me incuriæ, ne dicam inscitiæ accusatus, qui, quæ una herba erat, duas fecerit; sicuti, ob id etiam merito possit reprehendi, quod duo sii genera in unam naturam confuderit; nam quæ de sio scribit Plinius, quod latius sit apio, atque in aquis nascatur pinguius nigriusque, quod calculos frangat, quod dysentericis, & mulierum mensibus prosit, hæ omnes sunt sii odorati apud Dioscoridem proprietates. Quod autem nasturtii saporem reddat; quod lentigini, & mulierum vitiis, in facie illitum, nocte momento cutem emendet, ut de sio pariter scribit Plinius; hoc non de eodem genere, sed altero potius inodoro, quod, ut diximus, à sapore quem reddit, cardamine à Græcis nuncupatur, Dioscorides retulit.

De sigillo Lemnio.

Venio ad sigillum Lemnium, quod ego, Auctore Galeno, Medicorum omnium longe doctissimo, rectius terram milton, id est rubricam nominari monstravi: tu contrà Nicandrum affers, ac Celsum, quorum alter id terræ genus miltum, alter minium vocat. Sed cur non etiam Andromachum Medicum antiquissimum allegasti, qui in suæ theriaces compositione terram Lemniam, milton appellavit? Præstat autem, inquit Galenus in ejusdem compositionis expositione, non milton, sed terram potius dicere eam (ut puto) cavens confusionem quam visus est fecisse Plinius, terram Lemniam inter rubricas, & colorum genera, lib. 5, & 3, numerans, cum tamen, ut idem Galenus inquit, aliud sit Lemniæ terræ genus quo fabri lignarii pro rubricâ utuntur, quod verius miltos nominatur, picturæ potius, quam medicinæ accommodatum. Ego igitur non adeo de nomine, quam de re ipsa à Plinio

Plinio diſſenſi ; nam etſi, & cinnabaris, & minium, & pleraque forte alia æque Medicis ac Pictoribus ſerviant, utrumque tamen uſum Lemnio ſigillo contingere, neque traditur à Dioſcoride diligentiſſimo alioquin in hujuſmodi rebus explorandis auctore ; à Galeno autem rubricam à terrâ Lemnia planè diſtinguente negatur.

De cinnabari.

De cinnabari non putas eam opinionem quam ſecutus eſt Plinius, à Dioſcoride improbari, quoniam idem Dioſcorides ſimpliciter ſcripſerit : *Putaverunt quidam ſanguinem draconis eſſe cinnabarim*, non damnans, ſed referens aliorum de cinnabari exiſtimationem. Sed quî defendi poſſit hujuſmodi de ſanguine draconis opinionem non judicari à Dioſcoride falſam, qui de cinnabari, non lib. 2, inter medicinas ex animalium ſanguine ſumptas, ſed potius libros, inter metalla tractavit ? De cinnabari quoque metallo in Hiberia & Colchis naſcente, ut te non latet, agit Theophraſtus ; & ſi contra te*, cognomine tantùm barbarum, Auctorem lingua, & natione barbarum licet allegare, Averois pariter, in ſuo *colliget*, non aliter de cinnabari quam de metallo ſcripſit. Galenus etiam Medicus nobiliſſimus, ſui de ſimplicibus medicaminibus libri volumine 11, cinnabarim metallis annumeravit. In altero autem de eiſdem medicaminibus ad Paternianum tractatu, eorum apertè ſententiam improbat, quam Plinius comprobavit, ita ſcribens : Cinnabaris non eſt ſanguis draconis, ut quidam putant. Sive autem hæc ſint verba Galeni Pergamo Aſiæ civitate oriundi, ſive alterius eodem nomine inſignis Medici, ſatis conſtat tantorum virorum judicio, ea quæ de cinnabari prodidit Plinius, eſſe fabulóſa. Non tamen ob id, ut nobis objeciſti, Plinium irriſimus ; abſit enim à nobis tanta temeritas, ut hunc celebris nominis Auctorem tam de humano genere bene meritum, ludibrio habeamus : ſed nequaquam tanti fecimus, ut nefas putaverimus ipſi aliquando non credere, ut quod quidam

legulei, qui folis nituntur Auctoribus, à nobis exegerunt, Plinii auctoritatem fine ratione, rationem effe cenfuerimus.

Lamentatio de morte Hermolai.

Vix hæc in mei defenfionem refponderam, cum luctuofus fanè nuncius hominum perculit aures, infignem illam ac fingularem doctrinam, illud immortalitate dignum ingenium, illam divinam potius, quam humanam Hermolai virtutem nobis immaturâ morte præreptam. O vana hominum ftudia! ô labores irritos! ô inanes lucubrationes, quæ fæpè in medio curfu interrumpuntur! multa ille, dum vixit, omnimodæ doctrinæ opera, dum nihil aliud diebus ac noctibus meditaretur, nifi quod rem Latinam amplificaret, in lucem ediderat: fed multo plura inchoata, atque imperfecta reliquit, quæ nifi mors occupaffet, propediem erat abfoluturus. Quis non de crudeli fato, atque impio conqueratur, quod nobis tot, quos prior Hermolai vita germinaverat, fructus antequam maturefcerent, intercepit. Vix ille Plinianas caftigationes emiferat, opus non minori ingenio, quam ftudio compofitum, cum heu! tantis invida cœptis, ne quotidie majora pullularent, fors illum ftudiofis inimica damnavit. Plinium fanè Hermolai curâ, ac diligentiâ renatum, omnes Litterati confitentur. Expectabant proximâ geniturâ Ariftotelem ejufdem luculentâ interpretatione revicturum, fed omnium bonorum auctore atque parente amiffo, clarus fua lingua Philofophus in priftinis tenebris demergetur. Quis enim Barbaro adempto (qui inde nomen videbatur adeptus, quod tetram illam barbariem quæ jam omnes bonas artes obfcuravit, folus poffet abolere) Philofophiam in lucem antiquam revocabit? quis noftræ ætatis juvenibus, quos recta ftudia delectant, inftrumenta fuggeret opportuna? quis, ut ad ea veniam quæ inter nos inciderant, ftudiofæ potius difputationis, quam æmulæ contentionis certamina, tantas in Plinio lites, quas videor penè quodam mentis furore fufcitaffe, eâ quâ Hermolaus eloquen-

tiâ ac gravitate, componet? an tabulæ quidam, qui doctissimorum virorum causam aliter defendere nescientes, cœlum, ac terras vociferando concutiunt? Clament isti licet, & tumultibus omnia compleant, his tamen semper nostræ aures obstruentur, quoniam talium virorum furiosam maledicentiam, neque imitari, si velim, possim, neque si possim, velim. Siquis forte Hermolai doctrinâ ac moribus similis, harum quæ mihi cum illo erant dissensionum se judicem fecerit, vel si adversus me pro Plinio, atque Hermolao Plinii defensore, pronunciet; ille (ut Plato dicere solet) omnia non inimicus obtineat.



LETTRE DE LEONICENUS

A FRANÇOIS TOTTUS.

Nicolai Leoniceni Vincentini de Plinii, & plurium aliorum Medicorum erroribus, ad præstantem Medicum Franciscum Tottum Lucensem, Epistola.

EFFLAGITASTI me quotidianis penè litteris, ut tibi super quibusdam Plinii erroribus jam pridem à me notatis responderem, quos quidam Medicus tibi & mihi communis amicus, non in Auctorem, sed in novos codices impressos formulis, vel manuscriptos potius rejiciendos duxerit, ex alterius codicis vetustioris quem tibi Venetiis ostendit, auctoritate. Meam autem de iis responsionem non modo tu, sed & ille idem medicus Plinii defensor, ut tuæ litteræ mihi significabant, præcipue desiderare videbatur. Ego vero in hunc usque distuli diem, & tuæ petitioni, & illius desiderio satisfacere, quoniam non libenter patiebar me ad antiquum ludum revocari. Ut enim verum fatear, mihi ludus quidam videtur de Plinii erroribus disputare, cum sint multi alii in libris medicorum magnæ nostrâ ætate existimationis errores, ex quibus multo plus vita periclitatur; paucissimi enim sunt qui Plinium propter medicinas legant, plures propter vocabula, & divinam, quod negari non potest, elocutionem. Quare circa illos magis, quod suâ possunt apud homines nostri sæculi auctoritate nocere vitæ, puro à Medicis laborandum, quam circa Plinium, qui à multis non in Medicorum, aut Philosophorum, sed Historicorum potius, atque Oratorum numero habeatur. Tu qui multa mea consilia legisti, quibus scilicet ægrotantium saluti consulo, cum ad simpli-

cia venio medicamenta, scis quam multos Gentilis, Bartholomei, Montegnanæ, atque aliorum recentiorum in his errores aperiam, qui non aliunde, quam ex Avicennæ ac Serapionis libris, quibus nimium nostra credit ætas, habent occasionem.

Quare tu, Francisce Torte, caveto ne tantisper in vitam pecces, quantisper aliud te impellente facio, quod minus possit generi humano prodesse. Sed tu forte illa verba respondebis, quæ Medicus Plinii patronus scribit circa suæ præfationis initia, veluti se excusans quod homo Medicus litteratorum officium in Plinii codicibus emendandis, & eodem divino Auctore contra calumniantes propugnando, usurpaverit; justam esse rationem inquiens, ut de natura rerum medicinæque effectibus, Plinii libros Physici quoque recognoscant. Hac enim ratione Plinii patronus se ait impulsum, ut post Georgium Merulam & Hermolaum Barbarum, ipse quoque conatus suos in his, quæ ad effectus Medicos pertinerent, ostenderet; quasi vero, ut de Merula taceam, qui forsan merus Grammaticus censeri possit, Hermolaus Barbarus vir omnium bonarum artium scientia clarissimus, non satis suo sit functus officio, in ea parte, quæ ad medicinam attinet in Plinianis codicibus, castigandâ: sed de hoc postea viderimus, nunc quod instat agamus. Hanc Medici Plinium emendantis, atque una defendentis excusationem ego libentius acceptarem, si non in æra ac lolio, sed in aliis herbis ac simplicibus medicinis magis ad usum medicinæ necessariis, in quibus etiam fuit à me Plinius notatus, ejusdem Plinii defensionem suscepisset; veluti in stachy atque ballote, polio atque tripolio empetro, quam alio vocabulo prasson idem Galenus vocat, saxiphraga, herba beronica, parthenio, muralio, seu parietaria, aristolochia, cyclamino, heliotropio, pentaphyllo, Lemnia sphragide, seu sigillo Lemnio, quod terram sigillatam vocant, cistho (herba ladanifera, à cisso, id est hedera, diversa) isatide, cum glasto eadem, licet Plinius hanc diversam à glasto, illam eamdem cum cistho nominis propinquitate deceptus, aliquando putaverit, nardo Celtica, & saliunca, quas etiam male Plinius diversificavit; si, inquam, in his & plurimis aliis medicinis quarum

frequens eſt uſus, etiam apud noſtri temporis Medicos, ſicuti apud eoſdem de æra ac lolio, non ad medendum, ſed tantum ad evitandum, eo quod in pane capitis vertigines facit, aliquando fit mentio, Medicus contra Medicum pro Plinio diſputaſſet, non alienam ab ejus officio diſputationem pro Plinio tuendo ſubiiſſe judicarem. Verum in æra tantum Plinium adverſus me conatus defendere, malorum Medicotum (quod pace ejus dixerim) imitatus eſt morem, qui, dum capiti mederi debent, reduvias curant. Sed neque in æra ſatis Plinio patrocinatur, adeò ut prævaricator videri poſſit, non patronus ; ſtat enim adhuc noſtra reprehenſio, ſi modo reprehenſiô dici debet, quæ potius juſta fuit de Plinio homine Latino admiratio, licet Plinii patronus eam ingentem calumniam, ipſe verè calumnians nominaverit. Verba mea de Plinio potius admirantis, quam per calumniam, ut ejus patronus objicit, reprehendentis, hæc ſunt, ſuper æta, & ægilope in libro de Plinii atque aliorum Medicorum erroribus inſcripto:

Æram dici à Græcis granum illud, quod à noſtris lolium appellatur, ſcribit Dioſcorides libro ſecundo, ac præterea teſtantur hi qui ab Ariſtotele, in libro de ſomno & vigilia, atque à Plinio libro decimo octavo de eadem, ſctibuntur effectus, quod ſcilicet capitis gravedinem, & vertigines facit. Plinius tamen eodem libro, atque eodem capite æram deſcribit, & lolium quoque, tanquam ab æra differat, ſeparatim nominat; nam ſi idem putavit & lolium, & æram, mirum quod, ſicuti in pleriſque aliis frugibus, atque earum vitiis, in quibus nomina Latina non deerant, ſicuti in tritico, hordeo, & avena, Græcis utendum non cenſuit, non idem quoque in lolio ſtatuerit, tam præſertim apud omnes uſitato vocabulo; quanquam ſimilis quoque de avena error in eòdem libro, & capite legatur; nam cum in ptincipio vitia frugum exponit, ſcribit hordeum in avenam degenerare, paulùm vero infra ſcribit hordeum vocati à feſtuca, quæ ægilops nominatur. At ſi Dioſcoridi credimus, quæ ægilops à Græcis dicitur, à Latinis avena nuncupatur ; Galenus quoque in primo ſui de alimentis libri volumine, cum in tritico atque hordeo generatio minus

prospetè cesserit, alterum in æram, alterum in ægilopen frequentius converti testatur, quod & maximum est argumentum æram idem esse quod lolium.

Hæc ego in meo libro ad litteram, non tam Plinium accusans, ut dixi, vel per calumniam reprehendens, ceu ejus patronus objicit, quam de homine Latinissimo admirans, cui, ubi non oportuit, Græca vocabula libuit usurpare; unde enim hæc Græcitatis affectatio, ut quispiam modo siton, modo frumentum, modo arton, modo panem, Auctor latinus scribat, nisi lexica, id est vocabularia scribat; nam par est quod à Plinio scribitur, aliquando æra, aliquando lolium, aliquando ægilops, aliquando avena. Sed videamus quod ad hæc Plinii patronus pro Plinio respondeat in sua ad cives Veronenses, viros clarissimos præfatione. Post multas Plinii laudes, quem linguæ Latinæ nos quoque Auctorem nunquam satis laudari posse, judicamus, tandem in illos invehitur Medicos, qui Plinium per calumniam in æra reprehenderunt, me scilicet innuens, licet non nominet, sed tam significans quam si nominaret, immò quasi digito ostendens, quandoquidem nullus alius Medicus, præter me unum, qui Plinium in æra notaverit. Invehens autem in amicum gravius forte quam debuerat, scribit hæc verba: Exemplum unum ingentis calumniæ afferam de æra, quæ Medicos nonnullos ad calumniam tanti Auctoris invitavit, in qua Plinium errasse non dubitant, cum Hermolao Barbaro; arbitrantur enim æram & lolium ab ipso separatim describi, sed falsò, codicis errore manifesto. Libro 8, in quo æram tantùm diffinit, sicuti inter Medicos effectus, hoc est libro 22, lolii remedia & vires duntaxat denarrat: triticum simili modo non æra legendum est, sed herba ex vetustissimo codice, ac Theophrasti libro 8, quoniam enata herba triticum strangulat, de qua in eodem libro ubi Nili in Ægypto mentio habetur: Nec terra, inquit, ipsa herbas gignit, quæ triticum enecant. Item: Runcatio, cum seges in articulo est, evulsis inutilibus herbis. De faba inquit: Runcari non gestit, quoniam evincit herbas. Item: Siccitas coercet herbas; herba enim circumligando

triticum , & ejus radices enecat. In quo mendofis pariter codicibus , hoc modo legitur : Æra nonnunquam in macro folo, ubi de ateramno fuperiori fit mentio , ubi non æra , fed *ea* legendum. Sed Auctor , his peractis , mox de æra fic incipit : Æræ granum minimum eft.

Hæc eft Plinii in *æra* defenfio, in qua Plinii patronus fibi adeo placuit, ut more Galli à certamine defilientis , fibi quodammodo applaudat , & apud cives fuos his verbis quæ ftatim fubjunxit, exultet ac glorietur : Hac unica defenfione multorum, intempeftivum clangorem fedavimus , & civem veftrum ab ingenti calumnia abfolutum retulimus , ut de cætero diligentius perlegere, difcutere tantùm Auctorem perdifcant. Quæ verba poftrema in ipfum Plinii patronum rejiciemus, atque hominem admonebimus, ut tantum Auctorem defenfurus, & ejufdem Auctoris, & aliorum quos in ipfius defenfionem adducit, verba diligentius examinet, & quid illi ab adverfariis objiciatur, melius perfcrutetur; ne aliud defendens, quam illud cujus accufatur, reus caufam prodere videatur, quo quidem crimine Plinii patronus in hoc primo fufcepto adverfus Medicos pro Plinio de æra patrocinio , liquido apparet laboraffe ; nufquam enim Plinio errori datum eft , quod æram ac lolium feparatim defcripferit, quando neque apud Dialecticos error putatur, fi duæ aut plures etiam ejufdem rei defcriptiones afferantur. Sed quod eodem libro , atque eodem libri capite , ubi æram defcripfit , lolium quoque nominavit , fuit à nobis in Plinio notatum, quafi nefcierit idem æram effe quod lolium ; nam fi idem putavit, cur (ut objecimus) ficuti in aliis frugibus , atque earum vitiis, quibus fua nomina erant in Lingua latina , Græcis utendum non cenfuit , non idem in lolio fervavit , lolium dicendo non æram? At non æram , inquiet , fed herbam fcribit Plinius circumligando fe triticum enecare, quod ex pluribus aliis, tum Theophrafti, tum ipfius Plinii verbis, Plinii patronus nititur demonftrare : fed incaffum laborat , quandoquidem & ipfe Plinii patronus , & in fua præfatione , & in ipfo Plinii libro à fe emendatiore edito , fatetur Plinium æram defcribere , & non lolium ,

lolium, libro ſcilicet decimo octavo, capite decimo ſeptimo, ſicuti poſtea ait libro 22, eumdem Plinium lolii remedia, & vires dumtaxat enarrare.

Sed quæ eſt iſta ſortitio, ut lolium quidem ſub Græco vocabulo *æra* à Plinio deſcribatur, ſub Latino autem ejuſdem grani medici effectus denarrentur? An Latinis Græcam ignorantibus linguam lolii cognitionem Plinius invidit, remedia autem & vires dumtaxat docere voluit? fruſtra tamen, ſi herba ignoretur, aut granum. Sed neque verum eſt quod Plinius lolii tantùm medicos effectus doceat, at non æræ, ſiquidem Plinius, ſinon libro 22, ſaltem alibi, ſcilicet libro 29, de ærinea farina in uſu medico meminit, quam *loliaceam* dicere Latinè debuit, ſi lolii dumtaxat remedia & vires (ut ait Plinii patronus) denarraret: quare jam ipſe diſcat, ſi velit Plinium omni ex parte tueri, totum Plinium diligentius perlegere. Quid enim juverit Plinium ſemel in uno ſui codicis loco *æram* verbum Græcum in *herbam* Latinum mutaſſe, ſi concedatur multis aliis in locis idem verbum Græcum à Plinio inutiliter uſurpari?

Tentavit quidem & Plinii patronus, Plinii errorem in *æra*, libro 18, capite 17, ex toto corrigere, *æram* alio ejuſdem capitis loco in *hederam* convertendo, atque ita legendo: Hederæ granum minimum in cortice aculeato in pane capitis vertigines facit; nam & talem ipſum probare lectionem tuæ mihi litteræ ſignificarunt. At tam abſurdam Pliniani codicis caſtigationem quam tibi privatim laudaverat, non auſus eſt, vel in ſua præfatione, vel in Plinii codice edito emendatiore publicare. Queri enim ab eo potuiſſet, ubi unquam, vel ipſe experientiâ didiciſſet, vel apud gravioris auctoritatis Medicum, ſive Philoſophum, legiſſet hederæ granum æquè atque æræ, in pane, capitis vertiginem facere: ſed quoniam hujus queſtionis ſcopulos, quantum potuit, evitavit, nos aliis ipſum interrogationibus fatigabimus, quæ ſit illa herba interrogantes, quæ triticum circumligando ſe enecet. Quod nomen, vel apud Auctores Græcos, vel Latinos, vel ſaltem in vulgo habebat, nos *æram* Græce à Plinio, non ſine

errore tamen, diximus appellari, ut habet communis codicis ſcriptura, Latine *lolium.* An orobanche quidem quæ ervum, ægilope quæ hordeum, herba ſecurina, Græcè dicta *pelecinos*, quæ lentem ſimili modo, hoc eſt circumligando ſe, necant, ſua habuere tum apud Græcos, tum apud Latinos nomina; ſola tritici peſtis, quæ tamen tanto debuit eſſe nobilior, quanto triticum magis omnibus aliis expetitur frugibus, atque idcircò plus ab injuria, defenditur, remanſit ἀνώνυμος, id eſt carens nomine? Hanc vocabulorum inopiam, ſiquis linguæ noſtræ auſit adſcribere, Græcis certe non tribuet, qui ita πυράγχην, hoc eſt triticum ſtrangulantem, ſicuti ὀροβάγχην dicere potuerunt, ſi aliud nomen non habuiſſent, herbam ſimili modo triticum ſe circumligando necantem, quo ὀροβάγχη ervum.

Adde quod ſolet Plinius ſpeciales herbas quæ habent aliquam inſignem vim, ſi carent nomine, per ſimilitudinem aliquam nobis indicare, veluti eodem libro decimo nono, & capite decimo ſeptimo, herbam albam panico ſimilem naſci ait occupantem arva, pecori quoque mortiferam; aut ſi non ſolum nomen, ſed ſimilitudinem etiam ignorat, ſaltem earum nomen ignotum eſſe hominibus teſtatur, ut libro etiam & capite allegatis, ait peſtem à milio, atque panico, ſturnorum, paſſerumve agmina abigi herbâ cujus nomen ignotum eſt, quod etiam feciſſet in herba circumligando ſe triticum enecante, ſinon *æra* hoc in loco, ſed *herba* (ut vult Plinii patronus) ſcriberetur.

Exempla autem quæ Plinii patronus affert, ubi vel Theophraſtus, vel Plinius de herbis & frugibus noxiis loquuntur, partim falſa ſunt, vel male intellecta, partim nihil ad præſentem attinent locum: primum enim Theophraſtus libro 8 de plantis perperam allegatur; nuſquam enim in eo libro ea verba leguntur quæ Plinii patronus adducit, quoniam enata herba triticum ſtrangulat. Siqua vero ſunt, quæ talem ſenſum videantur habere, hæc nihil ad præſentem attinent diſputationem, in quâ quæritur numquid ſit herba aliqua quæ circumligando ſe triticum enecet. Theophraſtus ſane lib. 8, de plantis, hæc verba ſcribit: Imbres enim

tum aliàs contrarii ſunt, tum ſemina ſæpe corrumpunt, quod ſi minus, herbæ quidem luxuriam movent, ut ſata ſtrangulentur, atque omne alimentum amittant. Hæc autem verba non id ſibi volunt, de quo Plinii patronus contendit, ſata à quibuſdam herbis ſe circumvolventibus ſtrangulari, ſed ſenſus eſt quod ſata aliquando nimium in herbas excreſcentia, ſua luxurie ſtrangulantur, atque alimento privantur. De quo ſatorum vitio, etiam Virgilius meminit in Georgicis :

Luxuriem ſegetum tenerâ depaſcit in herbâ.

Sed & Plinius ipſe lib. 18, cap. 17, de eodem vitio ſcribit in hunc modum: Inter vitia ſegetum, & luxuria eſt, cum nimia ſua fertilitate procumbunt. Hoc autem vitio non modo ſegetem, ſed etiam aliquas arbores ſtrangulari teſtatur Theophraſtus libro 5 de cauſis plantarum, ubi ita ſcribit : Arborum autem genus etiam aliquod fortaſſis eſt, cui corruptio ſecundum naturam, ſponte, nec ullo pacto afflictato, ſed bene vigenti eveniat, ut pino, cum radices mutatæ in tædam fuerint; ita enim fit ex nimietate nutritionis, cumque per tædam tranſmittere pabulum arbores nequeant, moriuntur. Quod proximum illi videtur, quod animalibus, quæ extra modum craſſantur, atque pingueſcunt, cum enim auram attrahere nequeant, nec ullo pacto ſpiritu uti poſſint, propter obeſitatem, condenſationemque ſtrangulantur : quamobrem non inepte ruſtici hoc vocabulum de pino uſurpant; pinum enim ſtrangulari aiunt obeſitate, atque pinguedine, quippe omnia ſpiritum deſiderant aliquem, vel ſolutionem, vel meatuum libertatem : ergo corruptiones hujuſcemodi potius naturales eſſe putaverim. Hæc Theophraſtus; ex cujus verbis apparet plantas duplici ratione, ſtrangulari, vel quia aliæ plantæ ipſis circumvolvuntur (quomodo ervum ab orobanche, & ſimili fere modo lentem ab aparine ſcribunt ſtrangulari & Theophraſtus lib. 8 de plantis, & Galenus libro primo de alimentis) vel non alienâ injuriâ, ſed ſui ipſarum luxuria atque obeſitate; quod de ſatis libro allegato Theophraſtus, de arboribus autem libro 5, de cauſis teſtatur. Debuit ergo

Plinii patronus id quod aliis Medicis in sua præfatione suadet faciendum, Theophrasti verba, vel fidelius citare, vel eadem examinare diligentius, quod etiam in verbis Plinii ipsum facere oportuit : nusquam enim ea verba scribit Plinius quæ Plinii patronus adducit : Herba circumligando triticum ; & ejus radices enecat; nisi in hoc, de quo disputamus loco, ubi ipse codicem non emendat, sed depravat, *æram* in *herbam* commutando.

Alia etiam Plinii verba quæ ex locis variis Plinii patronus adducit, de inutilibus herbis triticum enecantibus, de runcatione segetis, aut fabæ, nihil ad præsentem pertinent disputationem, in qua non quæritur, numquid sint aliquæ herbæ inutiles frumenta enecantes, atque legumina, ad quarum evulsionem runcatio sit necessaria : quis enim de hoc tam rei rusticæ imperitus dubitarit? non, inquam, hoc quæritur, sed illud potius, numquid sit aliqua herba specialis quæ præcipuè triticum se circumligando enecet. Ut enim scribit Theophrastus lib. 8 de plantis : Etsi sint quædam herbæ quæ communia omnium frugum vitia putantur, quæ tamen plus inter aliquas valeant, propria earum vitia putantur ; exempli gratia, orobanche ervi, aparine lentis. De quibus etiam vitiis quæ quibusdam sunt propria, paulo suprà verba jam tacta, idem Theophrastus in hunc modum scripserat: Genus autem quod totum transire in aliud aptum sit, nullum præterquam *typhen*, & *semen* comperies, sicuti inter primas disputationes proposui, necnon lolium tritico & hordeo corruptis enascitur, vel si id minus nasci quidem inter triticum solitum esse nulli dubium est, ut etiam Ponticum illud, triticum atrum cognominatum, & semen bulborum, & ea quæ nasci inter alia semina solent; nam & avena magis in hordeo exire videtur, & in lente aracus res scabra & dura, in aphacis autem securina securi similis. Hæc omnia Theophrastus, interprete Theodoro Gaza, qui quidem interpres *æram* lolium convertit, de quo idem Theophrastus neminem dicit dubitare inter triticum solere nasci, licet Plinii patronus videatur asserere quod non sit *æra* vitium tritici proprium, sed magis herba. Idem Theodorus ægilopen avenam

Latine dixit, quæ eſt iſta proprium hordei vitium, ſicuti tritici lolium. In eamdem ſententiam de vitiis quibuſdam ſegetum peculiaribus ſcribit Galenus, ut ſupra tactum eſt, libro primo de alimentis, qui potuit videri à Theophraſto accepiſſe quæ ſcribit, niſi patrem allegaret ſuum in hunc modum ſcribens : in triticis quidem *æræ*, id eſt lolia ſæpius inveniuntur, inter hordea vero naſcuntur quidem, ſed pauca, plurima autem quæ ægilops, id eſt avena, nominatur; in his vero, quando vel primum incrementum, vel generatio minus proſperè ceſſerit. Genitor autem meus ætate jam in ſenium vergente, captus amore agriculturæ triticum aliquando ſeruit & hordeum; cum ſummo ſtudio omne aliud diverſi generis ſemen intermixtum exemiſſet, explorandi gratia, ſi ex tranſitione eorum in alia, & avenæ generarentur, vel propriam haberent etiam ſemina iſta naturam. Natis vero inter purgata ſemina loliis quidem forte plurimis inter triticum, paucis autem inter hordea, ſed avenis abundantibus, etiam de aliis ſeminibus conatus eſt pariter facere inquiſitionem : invenit itaque & in lentibus eodem modo, ex ipſarum in aliud tranſitione, natos aracos duros, & orobos, & pelecinos, ſemina eſui minime idonea; aparinem autem non modo eſui non idoneam, ſed etiam internaſcendum ſe lentibus circumplicantem, atque ita angentem, ac ſtrangulantem, ac proculcantem, ſicuti orobanche orobos. Hæc omnia Galenus.

Non multum diſſona ab illis libro allegato ſcribit Theophraſtus, in hoc cum eo maximè congruens, quod duas tantùm herbas facit amplexicaules ſuo complexu necantes, orobanchen quidem ervum, aparinen vero lentes. E diverſo Plinius non ſolum has, ſed & æram, id eſt lolium, & ægilopen, id eſt avenam, & pelecinon, id eſt herbam ſecurinam, quamvis ſenſu ipſo, & rerum natura repugnante, cum ſint herbæ recticaules, amplexicaules deſcribit; alioquin non poſſet, neque æra, id eſt lolium triticum, neque ægilops, id eſt avena hordeum, neque herba ſecurina lentem ſe circumligando necare, niſi herba recticaulis, eadem fieret amplexicaulis, cui rei & ſenſus ipſe, & omnium

parens Natura adverſatur, quæ herbas ſe aliis circumvolventes, à rectis quibus circumvolvuntur, non ſolum ſpecie, ſed etiam genere ſéparavit: quare recte Plinius, & Theophraſto, ac Galeno conſonis, vitia frugum peculiaria denarravit; male autem, atque ab eiſdem Auctoribus diſſonè, modum quo pleraque earum fruges interimant, recitavit, ac magis poſtea ſua concluſione aſſeveravit, cum ea verba ſubjunxit : Et hæ quidem omnes ſuo amplexu necant. Verius enim & magis ad imitationem Theophraſti, quem ubique de naturis plantarum ſcribens videtur velle Plinius æmulari, licet multa ejuſdem Auctoris ſenſa pervertat, ita ſcripſiſſet : Et hæ quidem omnes idcirco interimunt, quia pabulum tollunt. Talibus enim verbis utitur Theophraſtus libro quinto de cauſis plantarum, ubi de peſtibus propriis ſata necantibus diſerit, ita ſcribens : Neces quoque ab aliis accidunt propriæ, ceu in minoribus patet, quippe orobanche vocata ervum necat complexu, compreſſuque ſuo, & linodorum fœnu-græcum interimit protinus radici adnaſcens, & alia cladem aliis inferunt, ut quæ cum ſingulis frugibus ſimul proveniunt, ceu lolium, & avena tritico, atque hordeo, & aparine lenti, & alia aliis, omnia tamen idcirco interimunt, quia pabulum tollunt tam quod terra miniſtret, quam quod à ſole & aere veniat. Atque eorum quidem ratio manifeſta eſt, quia videlicet habent interimendi vim; talem enim ſenſum verba ſtatim ſubſcripta manifeſtant : Oleum autem, & pix, atque pingue; nam hæc quoque necandi vim habent, &c.

Ex his Theophraſti verbis facile unicuique poteſt liquere, æram, id eſt lolium, & ægilopen, id eſt avenam (talia enim verba in Græco codice habentur) hac ratione habere vim, alteram necandi triticum, alteram necandi hordeum, non circumligando ſe, ſed pabulum auferendo, quando & orobanche, & aparine, quæ hanc habent ſe circumligandi naturam, non tamen hanc communem rationem ſubterfugiunt, quin & ipſæ quoque pabulum tollendo interimant, tam quod terra miniſtret, quam quod à ſole, & aere veniat, quod viſus eſt hoc in loco inſinuare voluiſſe Theophraſtus, aparinen, non orobanche, ut in libro octavo aſſociando, ſed lolio & avenæ,

quanquam & idem, libro octavo; diligentius considerantibus significaverat, ita de orobanche, & aparine scribendo: Non nulla etiam manifeste communia plurium erumpunt; sed quoniam plus inter aliqua valeant, propria eorum putantur, exempli gratia, orobanche ervi, aparine lentis, quod altera ervum potissime vincit causa imbecillitatis, altera inter lentem maximè coalescat. Quasi velit dicere Theophrastus, quod & si orobanche ervum causa imbecillitatis suo amplexu, atque compressu potissimum vincat, tamen & pabulum auferendo enecat, aparine vero lentem, pabulum auferendo potissimum, quoniam ipsa inter lentes plurimo abundat alimento; hoc enim significat verbum εὐτροφεῖ, quo hic utitur Theophrastus, pro quo interpres retulit *maximè coalescat.* Hoc vero in loco (ut nos ipsos excusemus, hoc est ejus culpæ, cujus Plinii patronum accusavimus, falsæ scilicet allegationis Theophrasti suspicione liberemus, apud illos præsertim qui Theophrastum, non Græcum, sed Latinum legerunt), hos censuimus eosdem lectores admonendos, ubi Theodorus in translatione Theophrasti aparinem lappam vertit, in hoc Plinii secutus errorem qui sæpius in libris suis, ubi Theophrastus apariren nominat, *lappam* Latine dicit, maluisse nos Græco uti vocabulo aparine, quo Plinius nihilominus in variis locis librorum suorum non raro utitur, dans multis aberrandi, sicuti in æra & lolio occasionem, ut pariter aliud putent esse apud ipsum Plinium lappam, aliud aparinem. Libuit autem nobis in hac herba Græcum servare vocabulum, quoniam nomen *lappa* in ea à Plinio, & Theodoro nimiam aliquando Plinio fidem adhibenti usurpatum, potius arctio grandes lappas ferenti, quam aparine congruat. Sed & aliud hoc ipso in loco subjiciendum existimavi, quod non ad nostri, sed ad Plinii, facit defensionem; ego enim semper fui ita animatus, ut, ubicumque possim, Plinii auctoritatem foveam atque sustentem, sicuti ubi non possum, puto (ut Philosophum decet) veritatem in honore præferendam.

Præterea quæ supra nos Plinio objecimus de herbis quæ non circumligando se, sed potius alimentum auferendo enecant fru-

ges, quiſpiam & de herba ſecutina Græcè *pelecino* dicta, poſſit objicere quod non ſit aphaci, id eſt lentis, ſed potius aphaces (ſic enim de pelecino ſcribit Theophraſtus quod ſit aphaces) vitium peculiare, adeo ut dubitet Hermolaus, ne aut lectio corrupta ſit in Theophraſto, aut vicinitas nominis, Plinium in errorem traxerit. Sed neque lectio Theophraſti corrupta eſt, qui libro 8 de plantis ſcribit apertè, in lente aracum, in aphace pelecinon, naſci frequentius, neque propterea Plinius erraſſe convincitur, quem Galeni poſſumus tueri auctoritate, qui inter malas herbas naſcentes in lentibus, non minus pelecinos, quam aracas nominat. Utinam idem Plinius tam bene in ateramno defendi poſſet, quam herbam putavit circà Philippos, in pingui ſolo quâ faba necatur, ſicuti teramnum alteram quâ in macro ſolo, cum quidam ventus afflaverit; quo in loco neſcio an rideam, an magis miſeram Plinii conditionem deplorem, tales ſortiri defenſores, qui putent mutato verbo *ara* in *ea* (quod verbum *ara* hîc eſſe vitio codicis ſcriptum non negamus, ſicuti & ſequens, *non*), qui putent, inquam, tam levi unius verbi diſſyllabi mutatione Plinium, à maximo quem ipſi non animadvertunt errore vindicare. Hoc ſanè ulcus non tam facilem habet curationem, qualem forte millia illa quæ ſe jactat Plinii patronus perſanaviſſe; quin potius ex illorum numero eſt, quæ & ipſe fatetur neminem potuiſſe adhuc ad cicatricem perducere, licet ſe credat, & hoc egiſſe, ità nunc verbum *ara* in *ea*, ſicuti prius in *herbam* commutando, magnâ ſanè caſtigandi licentiâ, ſi non alia quis nitatur ratione, niſi quia ita in libro ſuo vetuſto ſcriptum inveniat, quaſi & codices Pliniani vetuſtiſſimi non plurimis ſcateant erroribus, qui ad novos, vel manuſcriptos, vel formulis impreſſos defluxerunt.

Sed *ea* (inquit) verbum hoc loco pro *ara* ſcriptum refert ateramnum de qua ſtatim antea fit mentio; ego vero Plinii patronum alia interrogatione vexabo; ubi unquam apud aliquem Auctorem legerit, ſive Græcum, ſive Latinum, Philoſophum, aut Medicum, vel de re ruſtica ſcribentem, de herbâ hâc ateramno nominatâ, circa Philippos in pingui ſolo fabam necante, eamdem-

que

que nonnunquam in macro, cum quidam ventus afflaverit? an apud Theophrastum? hunc enim videtur Plinii patronus citare Auctorem adversus Hermolaum in hujus loci emendatione. Verum Theophrastus teramon, & ateramon, libro 8, & pluribus aliis locis, non pro herbis accipit, sed pro quibusdam leguminum affectibus peculiaribus quæ nos coctilia & incoctilia dicimus, in quem etiam sensum eadem verba Græca τέραμον ἀτέραμον, id est coctile & incoctile, ubique apud Theophrastum vertit Theodorus. Verba ipsa Theophrasti libro 8 de plantis Græcè subjiciam, ut omnibus luce clarius appareat Plinii in *ateramno* errorem nullâ posse codicis emendatione defendi. Sunt autem hæc: Τὸ δὲ τέραμον καὶ ἀτέραμον λέγεται μὲν ἐπὶ τῶν ὀσπρίων μόνον οὐχ ἀλόγον δὲ καὶ ἐπὶ τῶν σιτωδῶν παρα πλήσιον ἢ καὶ ταυτό τι συμβαίνειν, ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ τὴν αὐτὴν ἔιναι χρείαν οὐχ ὁμίως ἐμφανὲς ἐπεὶ οὐδ' ἐπί τούτων ἁπάντων ὁμίως ἀλλὰ μάλλισα ἐπὶ τῶν κυάμων λέγεται καὶ φακῶν ἐι τοῦν καὶ μαλλισα πασχόντων ἔιτε δὲ καὶ διὰ τὴν χρείαν φαινόμενων, γίνεται γοῦν πλέον πολλαχῶς γὰρ τόποι τινὲς ἔισιν οἳ ἂν φέρουσιν τεράμονα καὶ ἄλλοι πάλιν ἀτεράμονα. Τὸ δὲ ὡς ἐπὶ πᾶν οἱ λεπτόγεω μάλλον τεράμονα καὶ ἄερος κατάστασις τὶς ποιεῖ τοιαύτην παραλλαγὴν σημεῖον δὲ ὅτι τοιαῦτα τὰ χωρία καὶ ὅμιως ἐργασθέντα φέρει ποτὲ μὲν τεράμονα περὶ Φιλίππυς δὲ ὁ κύαμως λιχμώμηνος ἐὰν ὕπο πνεύματος ἐγχώριυ ληφθῇ τηράμων ὢν ἀτεράμων γίνεται. Hoc est, ut Theodorus transtulit: Coctibile autem & incoctibile de leguminibus tantùmmodo dici solet; verumtamen & in frumentaceis idem, aut proximum quid evenire non absque ratione putaveris. Sed quoniam usus non idem sit, neque percipi potest, neque in omnibus leguminibus ex æquo sentitur, sed præcipue in faba, lente; seu quod hæc majorem in modum affici nata sunt, seu quod hæc propter frequentiorem usum magis appareant, largius itaque fieri solet; sunt enim loca permulta, quæ semper coctibilia ferant, & alia quæ incoctibilia, sed omni quasi ex parte loca tenuia, coctibilia potius reddunt. Cœli quoque conditio mutationem hujusmodi afferre nimirum potest argumentum, alias coctibilia, alias incoctibilia reddunt. Faba apud Philippos cum ventilatur, si

ab afflatu incola perfletur, incoctibilis est. Hæc Theophrastus Græce, atque Latine Theodoro Gaza viro, & Græcarum, & Latinarum quoque litterarum doctissimo interprete, ex quibus omnibus Plinii error hic luce clarius manifestatur, qui fabæ affectum ateramnon, id est incoctibile, apud Philippos ab afflatu incola eidem fabæ advenientem, ipse sub longè alio, quam Theophrastus, vel Theophrasti interpres retulit sensu, ita hunc totum Theophrasti locum perperam imitando: Circa Philippos autem ateramnon nominat in pingui solo herbam, quâ faba necatur; teramnon, qua in macro, sic enim scribendum existimo ad Theophrasti (qui teramnon, & ateramnon libro octavo, licet in alio quam Plinius, ut dixi, nominat sensu) imitationem, cum quidam ventus afflaverit. Equidem doleo hanc mihi necessitatem impositam adeo pudendos in tam celebri Auctore errores aperiendi, quos velim, si possim, potius obtegere, nisi quod licentis calumniæ à Plinii patrono accusatus, non possum aliter hanc in me culpam excusare, nisi Plinium ostendam, non modo in *æra*, & *lolio*, sed in pluribus aliis ejusdem libri ac capitis locis, ubi de *æra* scripsit, aberrasse, & male in eo verbo Plinianum codicem fuisse bis ab ejus patrono emendatum.

Et jam poteram receptui canere, & mea super *æra* defensioni finem statuere, nisi quod Plinii patronus non contentus his quæ adversus Medicos, me præcipue notans, scripserat antea, de *æra* rursus, in quodam suæ præfationis loco, ubi Hermolaum Barbarum intemperanter lacerat, quoniam & ipse Plinium immerito, ut ille inquit, accusat, iterum Medicos in *bromo*, & *avena* taxat, in his inquiens, & priores Medicos unâ cum Hermolao aberrare. Quare mihi video alteram additam esse necessitatem, me pariter, atque Hermolaum in his quæ ad medicinam attinent defendendi; nam reliqua in quibus Plinii patronus damnat Hermolaum, litteratoribus defendenda relinquo, quorum officium est de vocabulis potius, quam de rebus ipsis disputare. Quid tamen in bromo & avena, vel Hermolaum, vel me, Plinii patronus innuat aberrasse, non intelligo: ut enim pro me ipso primum respon-

deam, nihil de bromo contra Plinium ſcripſi, quamvis potuiſſem, ſi voluiſſem, ita Plinium in bromo, quæ eſt avenæ ſpecies, ſicuti iu ægilope notare, de qua bromo Theophraſtus libro 8 de plantis, ſcribit hæc verba, Theodoro Gaza interprete : Ad hæc triticum tunicis integitur multis, hordeum nudum conſiſtit, id enim omnium maxime caret tegumento, tipha quoque, & ſiligo, & omnia hujuſmodi multiplici folio includuntur, aſt omnium maxime, ut ita loquar, avenam natura operuit; quin etiam culmus altior tritico quam hordeo eſt, & ſpica plus diſcreta foliis emicat, palea quoque plus ſuavior ex tritico quam hordeo. Quem Theophraſti locum volens Plinius libro 18, capite 7, ut conjicere licet, interpretari, bromon, id eſt avenam (ſic enim hoc verbum non modo Theodorus hoc loco, ſed etiam Plinius interpretatur) maximè nudam eſſe dixit, quam Theophraſtus polylobon, id eſt, ut idem Theodorus tranſtulit, maximè opertam deſcripſit; cui rei etiam ſenſus adſtipulatur, cum avenam intueri liceat multis contectam tunicis, ut ſcribit Theophraſtus, non autem nudam, ut Plinius, male Theophraſtum interpretando, retulit. Et ne quiſpiam ſuſpicetur, me per calumniam Plinium reprehendere, ſubjiciam ejuſdem Auctoris libro & capite ſupra allegatis verba; ſunt autem hæc: Tunicæ frumento plures, hordeum maximè nudum & alica, ſed præcipue avena, calamus altior frumento quam hordeo, ariſta mordacior hordeo. Quis non videat Plinium de eiſdem ferè ſatis de quibus Theophraſtus loquentem, paria voluiſſe dicere, niſi quod in avena deerravit? nam verba Plinii *tunicæ frumento plures* reſpondent illis Theophraſti, *triticum tunicis integitur multis*, item *hordeum maximè nudum*, eſt illud quod Theophraſtus ait, *hordeum maximè caret tegumento; item calamus altior frumento*, quam hordeo, ariſta mordacior hordeo; verba Pliniana eamdem habent ſententiam, cum verbis Theophraſti; *culmus altior tritico, quam hordeo, palea plus ſuavior ex tritico, quam hordeo.* Reliqua autem, ſcilicet *alicam*, quam videtur Plinius pro tipha, vel ſiligine poſuiſſe, *eſſe nudam, ſed præcipuè avenam*, ſunt Plinii errores, qui eas, & Theophraſto, & ſenſui conſonè,

multiplici folio includi, ſeu maxime operiri dicere debuit.

Sed ſi & extra 18 librum evagari liceat, nonne etiam Plinius, libro 32, in *ægilope* erraſſe convincirur? ubi male imitando Theophraſtum ſcribit hæc de ægilope verba : Mirum lotum herbam, & ægilopem non niſi poſt annum ex ſemine ſuo naſci. Aliter enim de hiſce herbis libro ſeptimo ſcripſit Theophraſtus in hunc modum ſcilicet : Sed bulbo peculiare datur quod non ſimul, ex omnibus ſeminibus, ſed partim anno primo, partim ſecundo, ut eriam de avena tradirum eſt (ſic enim verbum *ægilopem* hoc loco, ſicuti & in aliis omnibus verrit apud Theophraſtum Theodorus), unde Plinius, ut diximus, erraſſe convincirur, ſcribens ægilopen non niſi poſt annum ex ſemine ſuo naſci, cum more bulbi parrim anno primo ex ſuis ſeminibus naſcatur, partim anno ſecundo, ut ait Theophraſtus; ut autem ex Plinii verbis habetur, neque tota avena ex ſeminibus, neque etiam pars una primo anno naſcarur, ſed tantum ſecundo : hi ſunt duo Plinii in bromo, & ægilope, duabus avenæ ſpeciebus, errores.

In quo autem Plinii patronus Medicos unà cum Hermolao de bromo, & avena aberraſſe velit, non auſim aſſerere, quandoquidem neque ipſe auſus ſe aperto certamini exponere. Tantum me aberraſſe dicit, & errorem non explicar, dubitans ne, ſi palam protuliſſer, ipſe porius errare deprehenderetur, & fortè in me tempus expectans, quod etiam in Hermolao expectavit, ne poſſim ad omnia reſpondere. Quod enim crimen in ſua præfatione objicit Medicis, qui Plinii manibus negotium faceſſere ſtuduerunr, veluti larvas ad pugnam irriram evocanres, ipſe vere eſt eidem crimini obnoxius, qui poſt mortem Hermolai ror doctiſſimi hominis errata (ſi modo ſunt, ut ipſe opinatur, errata) publicavit, quorum neque unum ipſo vivente eſſet auſus afferre; quod de me erga Plinium dici non poreſt, qui non vixi eadem ætare qua Plinius, ſicuti Plinii parronum cum Hermolao in eadem civirate magnam ſuæ vitæ parrem egiſſe conſtar, & ipſo tempore quo Hermolaus Plinianas cudebat caſtigationes, & ſuis dictabar familiaribus, in quadam vetuſti codicis inſcriptione legiſſe Plinium Novoco-

menſem, quod erratum contumax Hermolaï, ſic enim ipſum Plinii patronus in ſua præfatione nominat, & ſe ab Hermolao vel ejus familiaribus audiviſſe non diffitetur. Cur cum illa dictabat Hermolaus, non tentavit refellere? an tutiùs putavit cædere mortuos, quam vivos irritare crabrones?

Verum ad propoſitum revertentes, cum non poſſimus habere exploratum, quidnam illud ſit in quo de bromo, atque avena Medicos dicat Plinii patronus aberrare, ſi divinare liceat, & cogitatûs hominum, quoad fieri poteſt, aſſequi conjecturâ; ſic puto Plinii patronum ſua mente concepiſſe: Qui Plinium Medici in *ægilope* reprehenderunt, unâ cum Hermolao Barbaro decipiuntur, credentes ægilopen idem eſſe quod avenam, cum bromos potius ſit Græcis avena, ægilops autem feſtuca, vel herba ab avenâ diverſa, de qua ſæpius Plinius inter vitia ſegetum, ſub nomine ægilopis non avenæ tractat, quam & aliquando medicatam facit, ut lib. 25, capite 11, ubi ait: Et ægilopas ſanat herba eodem nomine quæ in hordeo naſcitur tritici folio, ſemine contrito, cum farina permixta, impoſitaque; vel ſucco exprimitur; hic è caulibus, foliiſque pergrandibus dempta ſpica, & in trimeſtri farina digeritur in paſtillos. Verum ſi Plinii patronus velit obſtinatè contendere ægilopen non eſſe avenam, neque avenæ ſpeciem, doceat ipſe quæ herba ſit ægilops, ſicuti nos eam eſſe avenam, tum ex Dioſcoride, tum Plinio ipſo contendimus, qui eam deſcribit modo quo Dioſcorides, eumdemque tradit in medicina uſum, ac præterea hoc in loco, ſcilicet cap. 11 libri 25, eam in hordeo naſci teſtatur, ſicuti prius, lib. 18, cap. 17, hordeum, id eſt avenam, degenerate teſtatus erat, poſſumus auctoritatibus demonſtrare; atque inſuper Theodori Gazæ hominis in Græcia nati, & non minus Latinarum, quam & Græcarum doctiſſimi litterarum, qui, ubicumque *ægilopen* ſcriptum invenit apud Theophraſtum (ut etiam rettò diximus) avenam vertit. Barbari præterea Auctores quibus major ætate noſtra, quam vel Græcis, vel Latinis in medicina fides, eadem de *deuſir*, id eſt *avenâ*, ſcribunt, quæ de *ægilope* Dioſcorides, Galenus & Paulus, pari-

ter tradiderunt. Lexica etiam omnia tam Græca, quam Latina *ægilopen*, id eſt avenam, exponunt, quæ qui velit negare, videtur quodammodo principia negare, ſiquidem omnis noſtra cognitio pendet ex cognitione terminorum. Quantò ſimplicius fuerit fateri Plinium non magnam habuiſſe Græcarum litterarum cognitionem, atque eo defectu omnia illa quæ ipſi objecimus in ſuis ſcripris errata reliquiſſe quæ morte præreptus non potuit emendare? ſed quod de ſe Naſo Poeta dicit, alterum linguæ Latinæ ornamentum,

Emendaturus, ſi licuiſſet, erat.

Ego ſanè hanc unam Plinii errorum excuſationem puto omnibus aliis defenſionibus præferendam, quæ non ſunt defenſiones, ſed graviores, ut ſæpè oſtendimus, & magis etiam oſtendemus, accuſationes; nam ſicuti Plinii patronus, contra quem nunc agimus, forte putavit ægilopen aliud eſſe quam avenam, ita alter conceſſerit ægilopen idem eſſe quod avenam, non tamen id latuiſſe Plinium, ſed ductum ratione probabili maluiſſe uti vocabulo Græco, quam Latino. Siquis hoc dixerit, ſive Plinii patronus, cum quo nunc eſt nobis negotium, ſive alius, non videt quantam inſcitiam rerum etiam vulgariſſimarum Plinio ſit adſcripturus; Plinio, inquam, qui de naturali hiſtoria ſcribere profiteatur, & tamen videatur exiſtimaſſe *ægilopen*, id eſt *avenam*, eſſe herbam amplexicaulem, quæ circumligando ſe triticum enecet; quam exiſtimationem pueri ruſticorum qui quotidie rectâ modulantur avenâ, poſſint irridere. Quare tutiùs judico ſi alterutrum Plinio ſit detrahendum, Græcarum potius litterarum adimere cognitionem, quam rerum è terra naſcentium, tam præſertim vulgo notarum, eidem adſcribere ignorationem.

Neque magnum hoc Plinio dedecus futurum exiſtimo, ſi ei Græca eruditio detrahatur, cum multo majora illi litterarum Latinarum ornamenta relinquantur, quibus omnes alios linguæ Latinæ Auctores adeo ſuperexceſſit, ut ſi Muſæ lingua Romana loqui voluiſſent, non, puto, Plautina, ut quidam ſentiunt, ſed magis

Pliniana fuissent locutæ. Sed utinam tantam habuisset in corde sapientiam, quantam habuit in lingua patria eloquentiam! Quod homines eruditi Plinianam elocutionem divinam judicent, eamque præcipue imitandam censeant, non equidem improbo, sed magis laudo, & quibus ista non sapiat, eos plane fateor desipere: sed illos vicissim puto esse in altero desipientiæ genere, quod Plinio tantam tribuunt divinitatem, ut nullo pacto in animi eorum captum venire possit, Plinium in aliqua sui operis parte deerrasse, sive de imaginibus herbarum atque natura, sive de terræ ac maris ambitu, sive de siderum magnitudine loquatur.

Nuper me quidam amicus Ferrariæ monuit ingressum se forte scholam puerorum, audivisse ludi Magistrum magnâ voce adversus me pro Plinio, ac quodam leguleio Plinii patrono de sole, ac luna pronunciantem: tum ego ad amicum inquam; & quid ille ludi magister de sole ac luna pueros docebat suos? an solem esse masculini generis, lunam fœminini? neque putabam ludi magistrum ausum fuisse supra calceum ascendere; non hoc, amicus inquit, sed aliud majus, Plinium enim probabat idem quod alios Mathematicos de luna sensisse, ipsam scilicet terrâ esse minorem. Quoniam ubi Plinius scribit, lib 11 de Naturali Historia: *Non posset quippe totus sol adimi terris intercedente lunâ, si terra major esset, quam luna*, Magister iste hoc in loco verbum *terris* licet in plurali numero proferatur, habere tamen singularis significatum, & partem terræ non omnes terras significare contendebat. Risi hominis vanitatem, & vicem illorum condolui puerorum, quod satis intempestivâ, ne dicam ineptâ disciplinâ per numerum pluralem ac singularem, ad astronomiæ traherentur sublimitatem, ad quam neque ipsi propter ætatem, neque eorum Magister, propter ingenii hebetudinem, possent ascendere.

Hanc quoque cum dictarem epistolam, accepi ab amicis, quos habeo Venetiis, litteras, quæ me admonebant esse alterum Grammatistam Græcum meæ, quantum potest apud suos discipulos, existimationi detrahentem, nisi quod iste aliquantò prudentius, non mecum de astronomia, seu alia philosophiæ parte, vel medicina

contendit, ſed tantùm de grammatica Græca, hoc eſt de ea quam profitetur arte. Quod ſi velim hominem adverſus me ſatis, ut audio, petulanter in ſua profeſſione exultantem, auſcultare, video me ad ea ſtudia quæ pridem in ſchola puerorum didici, ætate jam cana non ſine magna mea infamia relabi; nam cum diviſæ ſint profeſſionum vices, quis ferat Grammatiſtam de philoſophia, aut Philoſophum de grammatica diſputantem? Sed cum iidem amici mei, qui me primi de hoc Græco Grammatiſta, non ceſſante quotidie meum nomen dehoneſtare, monuerunt, etiam me cogant, ut pro meo honore tuendo, ei ſuper his quæ mihi in grammatica Græca objiciuntur, reſpondeam, eum obſervabo modum, ut neque in minimis meam famam neglexiſſe, neque me ſponte, ſed invitum in hanc de conſtructionibus diſputationem quæ magis puerili ætati conveniat, videar deveniſſe; nam quid mihi à Grammaſtica Græco objectatur, hoc eſt, me male emendaſſe locum Ariſtotelis, lib. 7, de Hiſtoria Animalium, in quo de morſu canis rabidi ſcribit hæc verba: Λυττῶσιν ἀπάντα τὰ δηχθέντα πλὴν ἀνθρώπου. In quibus ego non πλὴν, ſed πρὶν magis ſenſui legendum, ne, ſi dictio exceptiva retineatur, mendacium inſit apertiſſimum, omnia animalia morſa à cane rabido rabire & mori, excepto homine, cum æque homo ac reliqua animalia, ex morſu canis rabidi, & rabiant, & moriantur. De quo tamen tam manifeſto mendacio Ariſtotelis, ſi ita ſcripſit, ut in codice Græco ſcriptum invenitur, & Theodorus ſua tranſlatione confirmavit, nihil audio Græcum Grammatiſtam in Ariſtotelis, aut Theodori dicere defenſionem. Sed ut qui velit naturæ potius, quam ſuæ artis legibus adverſari, nullo modo permittit, ut πρὶν adverbium temporis cum genitivo caſu conſtruatur, ſed πλὴν legendum cenſet, ut habet ſcriptura Græci codicis, neque veretur, ut dixi, naturam violare quæ voluit ita morſum canis rabidi eſſe homini noxium, ſicuti reliquis animalibus, ut ſuæ artis decreta ſervet incorrupta. Ego vero hominem antiquâ mihi amicitiâ devinctum, licet, ut tandem reſcivi, ſimulatâ, quoniam à me ſæpius apud magnos viros, quorum ope vitam traducebat

traducebat collaudatus, non eadem refert grata mente præconia, ſed magis ingrata convicia, hominem, inquam, ſive verum, ſive fictum amicum, ita compellabo : Amabo, ô amice ! ſi alterutrum Ariſtoteli ſit detrahendum, aut doctrinam philoſophiæ, aut Grammaticæ Græcæ eruditionem veram adimendam cenſeas, tu forte tuæ favens profeſſioni, potius cenſueris Ariſtotelem malum eſſe Philoſophum, ut bonum probes Grammaticum. Tu quidem ita Grammatiſta Græcus, at non idem Porphyrius ſummus Philoſophus de Ariſtotele Philoſophorum principe judicavit; quin minus malum putavit eumdem Ariſtotelem linguà, quam mente σολοικίζειν; cum enim de Natura diffinitionem ab Ariſtotele aſſignatam, quæ ait : *Natura eſt principium motûs, & quietis*, non poſſet Porphyrius aliter pro verâ defendere, quoniam cœleſtia corpora habent naturam, & tamen nunquam quieſcunt, ſed perpetuo motu cientur, dicere non dubitavit, *&* pro *vel* ab Ariſtotele fuiſſe tranſumptum : atqui, ò Græci Grammatiſtæ (cum quibus doleo impoſitam mihi eſſe neceſſitatem de veſtra grammatica, à qua jampridem fateor me eſſe feriatum diſputandi), veſtræ regulæ dicunt ſolœciſmum eſſe, cum conjunctio ponitur pro conjunctione; quemadmodum Ariſtotelem Porphyrius καὶ ἀντὶ τοῦ ἢ hoc eſt, *&* pro *vel* planè poſuiſſe confitetur. Sed quia forte ſit nefas Ariſtotele viro non minus verborum facundiâ, quam rerum ſcientiâ prædito, tale vitium ſermonis, quale eſt ſolœciſmum adſcripſiſſe, illud potius dicendum eſt, quod ſcribit Quintilianus : *Multa in antiquis Auctoribus, tum vetuſtate, tum auctoritate defendi, ubi præſertim ſubſit aliqua ratio*, ut in eo loco Ariſtotelis.

Sed omiſſis Grammatiſtarum, ſive Græcorum craſſis admodum ſubtilitatibus, jam ad Medicum Plinii patronum revertamur, de quo non ſatis queo admirari, quod Medicus atque Philoſophus non modo meo, ſed aliorum quoque judicio doctus, ſe etiam paſſus fuerit trahi in hæreſim Grammatiſtarum, Plinium eſſe omnis erroris experrem, in his etiam quæ partim ad Philoſophorum, partim etiam ad Medicorum attinent diſciplinas. Nam inter cætera in quibus in ſua ſcribit præfatione Hermolaum Plinium immerito

accusare , hunc quoque videtur Hermolaum erroris annotare, de solis, lunæ, ac terræ magnitudine. Sed cur in his ab Hermolao dissentiat, qui mecum contra Plinium sentit, non intelligo, quandoquidem Plinii patronus, neque in hac parte, sicuti neque in pluribus aliis, suam pro Plinio sententiam adversus me atque Hermolaum, nondum aperuit? nos vero quantum ad hunc attinet locum , quod nobis videatur , aperte pronunciabimus Hermolaum , rectè cum Ptolemæo , ac reliquis probatissimis Mathematicis, lunam terrâ esse minorem statuisse, & Plinii cavillum contraria probantem reprobasse, nisi quod non recte, neque Ptolemæo consonè, terram ter tantum, & duabus quintis fere partibus scribit, lunâ esse majorem ; nam inter diametros, seu dimetientes terræ ac lunæ , non autem inter globos ipsos est ista proportio : ratio autem geometrica probat globos suarum diametrorum proportionem habere triplicatam, ex qua ratione colligitur terram lunâ majorem esse, non ter, & duabus quintis ferè partibus, ut scribit Hermolaus, sed trigesies novies, & unâ ferè tertiâ parte. Quem quidem Hermolai errorem si Plinii patronus voluit innuere, ubi de solis, lunæque terræ magnitudine Hermolaum, notat, hominem non modo Medicum, sed etiam Mathematicum exosculabimur; sed quoniam etiam in sole eumdem carpit Hermolaum in quo nullam hic præbuit erroris, vel minimam suspicionem , veremur admodum ne nota hæc potius grammaticam , quam mathematicam sapiat subtilitatem ; quandoquidem etiam Grammatistæ audent de astronomia per numerum singularem atque pluralem, de histotia autem naturali per casum genitivum, vel ablativum disputare.

Sicuti autem in lunæ ac terræ magnitudinibus, partim cum Hermolao sentio, partim dissentio, ità in herbâ fragra ferente, in lysimachio, in phalangio, myrmetio, omnino Hermolai accedo sententiæ , Plinium errore non parvo herbam fraga ferentem, quæ sit trifolia, fecisse quinquifoliam, vel sensu ipso qui in his est certissimus arbiter , illud quod nos dicimus indicante. Quod si Plinii patronus se herbam quæ fragra fert vidisse ali-

quando quinque habentem folia teſtabitur, nos viri gravis teſtimonio credemus : ſed ſciat nos, non de eo quod perraro fit, & monſtri loco habeatur, ſed de naturæ numero quem ſervat in pluribus, cum Plinio in hac herbâ contendere.

In lyſimachio herba pariter quam Dioſcorides flore aureo, Plinius purpureo deſcribit, viſum ſenſuum omnium acerrimum judicem appellabimus, ubi prius fuerit declaratum, quæ herba fuerit antiquis lyſimachion, & quo nomine ætate noſtrâ apud vulgus cenſeatur, quod Plinii patronum facere oportuit, antequam diceret florem lyſimachii eſſe vulgatum, alioquin ſciat ſe repugnantia dixiſſe. Qui enim poſſit flos vulgò eſſe cognitus, ſi herba ipſa, de qua naſcitur flos, ignoretur? ut certe eam ſcio non modo à vulgo, ſed etiam à Medicis noſtræ ætatis, ut pleraſque alias quæ in uſu medico fuêre apud priſcos, ignorari. Si tamen more ſophiſtarum, non elegantium, ſed barbarorum loqui velim, poſſum dicere, & vulgus, & Medicos herbam lyſimachium noſſe, non tamen noſſe herbam lyſimachium: ſed minime puto Plinii patronum Medicum, non ſolum peritum, ſed etiam eruditum, ità fuiſſe locutum. Si tamen ita fari liceat, erit ſermo ſophiſticus verus; nam herbam quam priſci dixere lyſimachion, hoc ævo vulgus *corneolam* nominat, ſub hoc nomine notiſſimam omnibus, licet plures neſciant priſco vocabulo vocari lyſimachion, quod nos nunc primum luce clarius ſumus demonſtraturi. Huic herbæ vulgo *corneola* nominatæ quam infectorum præcipue officinæ noverunt (ea enim ad inficiendos viridi colore pannos utuntur), omnes illæ adſunt notæ quas, tum Dioſcorides, tum etiam Plinius pariter lyſimachio adſcripſere; nam & in aquoſis naſcitur, ut ſcribit Plinius, vel in paludoſis, & juxtà aquas, ut Dioſcorides. Ego ſanè teſtor me frequenter vidiſſe herbam corneolam in Ferrariæ paludoſis, vel in ripâ Padi natam; huic præterea folia tenuia, viridia, qualia ſalici germinant, quæ ſi comburantur acrem fumum emittunt naribus mordacem, &, quod damnat Plinium, non purpureo, ſed aureo flore inſignita conſpicitur. Cogitur autem & Plinius fateri, aureum eſſe herbæ lyſimachii florem, niſi

velit cognominem lapidem lysimachum, aureis insignem venis; ut ipse describit lib. 37, capite 10, temerè idem nomen fuisse fortitum. Quanquam idem Plinius non tantùm in colore floris, sed etiam in herbæ odore notari potest, quem gravem sentiri scribit, & non acrem, ut Dioscorides, nec quomodo talis sentiatur ostendit, suffitu scilicet herbæ combustæ; quæ omnia Dioscorides diligentissimè est executus, & usum præterea herbæ in medicina docuit, quod hoc in loco, ubi lysimachion describit, Plinius facere prætermisit. Lysimachium autem esse herbam infectivam, non equidem memini me legisse apud aliquem Auctorem Græcum, vel Latinum, nisi quod de ea scribit Plinius, lib. 26, capite 16, quod capillum flavum facit: Dioscorides autem lysimachium alio nomine, ait lytron appellari, quam appellationem suspicor, aut apud Dioscoridem, aut apud Plinium esse depravatam, qui de lutea herba infectiva meminit, lib. 33, capite 5, quam dicit cæruleo subtritam pro chrysocolla induci. Forte enim *lytron* non *luteam* eamdem herbam, debuit nominare; nam & Vitruvius non *luteam*, sed *luteum* vocat, inquiens: Qui non possunt chrysocollâ propter raritatem uti, herbâ quæ luteum appellatur, cæruleum inficiunt, & utuntur viridissimo colore. Talis est ferè etiam ætate nostrâ lysimachii herbæ, sive lytron, sive luteum alio nomine appelletur, apud infectores usus; nam colori cæruleo, quem guadum vocant, eam super inducunt, & viridem colorem tingunt. Mirum autem videri possit, si lutea, vel luteum nominetur, cum non luteum, sed viridem faciat colorem, nisi quod & luteum, seu flavum facit, super se adhibeatur, & non cæruleo subteratur; nam & Plinius scribit (ut diximus) lysimachiam capillum flavum facere, vel lytron, forte non à colore quem tingit, sed à flore potius lutea fuit nominata: nam & Avicenna 16 libri 3 capite de excoriatione ulcerum, de quadam herbâ meminit, quam herbam tinctorum, & citrinam nominat, cujus succum libitum, & clysterizatum scribit prodesse ulceribus intestinorum, neque puto ipsum aliam herbam innuere, quam lysimachium, cujus pariter foliorum succum, aut epotum,

aut pro clyſtere injectum dicit Dioſcorides prodeſſe dyſentericis. Antiquus autem Avicennæ expoſitor, ſive Gentilis, ſive alius cujus expoſitiones in locum allatum habentur impreſsè, ut qui magis ſtudeat verba Avicennæ ſcindere in partes, primam ibi, ſecundam ibi, tertiam ibi, quam eorum ſenſum, quod magis foret ex uſu Medicorum, declarare; neque hanc herbam tinctorum citrinam, neque alteram quam ſtatim poſtea tanquam eumdem habentem effectum Avicenna ſubjungit, & *pedem alacohen* dicit à quibuſdam vocari; ſe autem exiſtimare quod ſit pes corvi, quamvis alii ante eum, ut ipſe teſtatur, dixiſſent Hippocratem per *alacohen* folia ficûs intellexiſſe, neutram, inquam, harum herbarum quæ videntur fuiſſe apud Veteres in uſu medicinæ celebres, atque ideo cognitu neceſſariæ, ſuâ ſtuduit doctrinâ Gentilis illuſtrare, ſed tanquam eſſent notiſſimæ, aut parum afferret earum notitia utilitatis, ſuâ intactas expoſitione præteriit.

Novus autem Avicennæ expoſitor non viſus eſt omnino iſta negligere: verum ex ejus expreſſionibus lector eſt incertior, quam antea; nam herbam tinctorum *memitem* eſſe dicit cujus ſucco utuntur tinctores, de quâ etiam *memite* dicit, teſtari Principem, quod eſt frigida & ſicca in primo, & quod multam habet ſtipticitatem, & exponi in ſynonymis Avicennæ quod eſt chelidonia, ſed non eſſe verum teſte Simone Genuenſi. Nonne hîc expoſitor ignotum per ignotius, aut ſaltem æque ignotum nobis oſtendit, cum herbam tinctorum *memitem* eſſe dicit, non autem quid ſit *memite*, ſed quid non ſit, magis edocuit? ſcio enim veram *memite* quam Dioſcorides glaucium vocat, & ad vitia oculorum laudat, à noſtræ ætatis Medicis ferè omnibus ignorari, qui pro eâ utuntur herbâ alterâ, ſimili quidem, ſed non eamdem habente vim quam Græci μήκωνα κερατίδα, id eſt papaver cornutum, appellant. Sed fac veram *memite*, aut verum glaucium eſſe notum, non tamen, aut Auctores Arabes de *memite*, aut Græci de glaucio, quid ſit hæc herba, tam in uſu infectorum quam etiam Medicorum, quicquam retulerunt; neque quia Avicenna ſcribat *memite* eſſe frigidam & ſiccam in primo, hoc ſatis efficax eſt argumentum

ad probandum *memitem* esse herbam tinctorum, de qua Avicenna facit mentionem, fen. 16, tertii capite de excoriatione intestinorum; plures enim sunt herbæ tales habentes qualitates, quas tamen propterea non dicimus easdem esse cum herbâ tinctorum, atque citrina ab Avicenna nominata, neque etiam eosdem habere in medicina usus, existimamus. De secundâ herbâ, *pede alacohen* ab Avicenna vocata, idem expositor scribit existimare quod sit herba à Medicis vocata *pes corvi*, de qua dicit secundo hujus capite, de *pede corvino*, quod radix hujus herbæ cum decoquitur confert solutioni antiquæ, sed radicem hujus herbæ quam nostri herbolarii vocant *pedem corvi*, esse causticam, ulcerativam, & de ista non loqui Principem; hîc qui Princeps dicit, quod aliqui dixerunt, quod per *alacohen* Hippocrates intellexit folia ficûs, quæ in nullo serviunt casui præsenti, quia pungunt & excoriant pet lacticinium occultatum in eis.

Hæc omnia ad verbum ferè novus expositor Avicennæ qui sua expositione, non magis hanc, quam etiam priorem nobis herbam declaravit. Forte autem sit illi minus pudendum hanc secundam, scilicet *pedem corvinum*, de quo Avicenna loquitur, ignorasse, quando & ipse Avicenna tantus alioquin medicinæ Magister, vel dubitavit, vel etiam nescivit quid esset, ut plane in multis aliis herbis ipsemet suam fatetur inscitiam, ut etiam secundo canonis de hac ipsâ herbâ, quæ *pes corvinus* nominatur, non modo ambigua, sed etiam contraria loquitur. Sunt autem hæc Avicennæ de pede corvino inibi verba : Pes corvinus . . . radix ejus herbæ confert solutioni antiquæ, & dixerunt Paulus & alii quod confert colicæ, & efficit operationem hermodactylorum absque nocumento. Ego autem nescio quomodo radix pedis corvini possit prodesse solutioni antiquæ, & facere operationem hermodactylorum qui sunt satis in solvendo potentes, nisi forte Avicenna vult hoc loco solutionem curare solutione, qui tamen alibi præcipit non esse faciendam solutionem super solutionem. Fen autem 22, tertii capite de solutione podagræ & Ischiadicorum, pedem corvinum non colicæ, sed podagræ potius, ex ejusdem Pauli auc-

toritate Avicenna prodesse testatur, ita scribens: Et dixerunt quidam quod pedi corvino inest operatio hermodactylorum, & non est ejus nocere stomacho. Quæ verba exponens, etiam novus expositor Avicennæ, in hunc modum scribit: Dicit aliquos asseruisse, quod pes corvinus operatur, & purgat sicuti hermodactyli, & non nocet stomacho sicuti ipsi, & pes iste corvinus; est herba cujus radix ponitur in opere, de qua scribit secundo hujus capitulo de ea: Dixerunt Paulus & alii quod confert colicæ, & efficit operationem eorum absque nocumento. Deinde subjungit: Radix pedis corvini quem nos hîc habemus, ab extra apposita rodit, & pluries hanc feci super penem illius quassari, qui habebat in inguine bochium epidemille, & protinus illîc surgebat ampulla, quâ ruptâ exibat virus venenosum, unde aliqui sanabantur. Sed hanc dare per os nunquam ausus sum, licet sciam aliqua quæ foris adhibita vesicant & ulcerant, & comesta non ut allia & cæpe.

Hæc ille, qui licet vereatur, ut sanè debet vereri, dare per os radicem pedis corvini quæ venenum est, ut postea declarabimus, per verba tamen postrema videtur innuere, quod si etiam daretur per os, cum aliqua tamen ratione daretur, & non sine Principis auctoritate. Joannes vero Matrheus de Grado, alter novus Avicennæ expositor in hujus radicis expositione magis audaculus scribit hæc verba: Intellige quod cum Auctores utuntur pede corvino, in casu etiam isto semper utuntur radice ejus, & non foliis, ita etiam Dominus Avicenna secundo canonis ponit juvamenta radicis ejus, quæ verba expositoris nobis indicant ipsum hujus herbæ timuisse folia non radicem, quia Dominus Avicenna ejusdem radicis usum, & non foliorum secundo canonis præcipuè probavisset.

Miseret me humanæ vitæ quam video quotidie sub Avicenna, non tamquam *principe*, sicut Medici juniores appellant, sed tamquam sævo tyranno periclitari; nam si radicem venenatam, vel intra corpus jusserit adhiberi, eam quidam Medicorum in ægrotantibus adhibere non dubitant; contra si radicem salutarem, &

& venenis adversantem dati vetuerit, tanquam medicinam perniciosam, illam Medici etiam celebres non audent dare. Radicem *pedis corvini** habentem vim exulcerandi, & tanquam venenum præterquam si extrinsecus apponatur in usu medicinæ fugiendam, alter novus Avicennæ expositor non veretur dare etiam intus assumendam, fretus Avicennæ, & secundo canonis, & 16 tertii quod eam hermodactylis præfert auctoritate. Ego vero testor eum me novisse Medicum qui ex eâdem radice quibusdam aliis adjunctis pillulas conficiebat, & eas podagra laborantibus propinabat, non sine magno quorumdam qui eas accepere periculo, donec tandem à me sui erroris admonitus, à tam periculosa abstinuit medicina.

Nonne idem Avicenna, si qui tam fatui sint qui ei velint in omnibus credere; scribit secundo canonis: Napellum esse venenum perniciosum, & tamen potari suadet cum postea subjungit: delet albaras linitum, & bibitum. Venenum autem quod nostrâ ætate napellum ab herbariis nominatur, aconitum à Græcis, atque Latinis vocatur, de quo Virgilius:

Miscent aconita novercæ;

ut jam appareat Avicenna non tam tyranni quam etiam novercæ imitati mores. Contra Galenus aconitum laudat, si abstergendum sit aliquid ex corpore; sed cavendum esse (inquit) ne aut in potu aut in cibo sumatur.

Idem Avicenna radicem pentaphylli à Dioscoride commendatam ad venena mortifera, ipse secundo canonis scribit esse medicinam pernitiosam; adeo ut Michael Savonarola Medicus suo, & nostro quoque tempore propter scripta quæ de Medicinâ edidit clarus, non ausit eam in quartana dare, non aliam ob causam, nisi quia damnetur à Principe. Tantam habet, ut nuper dicebam, Avicenna apud Medicos nostri temporis auctoritatem, ut medicinam mortiferam faciat salutarem, sicuti pedem corvinum; salutarem autem perniciosam, veluti radicem pentaphylli, vel ejus succum; nam & Jacobus de Dondis cognomento Aggregator,

hujus

hujus radicis succum inter venena perniciosa ex Avicennæ numerat auctoritate. Forte autem quantum ad pedis corvini attinet radicem, non tam Avicenna quam Medici ipsi non rectè Avicennam intelligentes, sunt reprehendendi. Quis enim eos cogit putare herbam, quam herbarii nostræ ætatis *pedem corvinum* nominant, esse illam quam veteres Medici, Paulus scilicet & Dioscorides, sub eodem nomine celebrarunt, quasi vero sit necessarium, ut quæ nunc sunt nomina herbarum etiam priori sæculo fuerint? Eos autem quos supra notavi Avicennæ expositores illud oportuit didicisse, aliam esse herbam à priscæ ætatis hominibus *pedem corvinum* nominatam, aliam à nostris; nam si id sciissent, neque tam multa de pede corvino dubitassent, neque etiam aliqui eorum unquam in animum induxissent, herbam *pedem corvinum* à nostris dictam, posse sine periculo aut in pilulis, aut alio modo intus assumi; hæc enim est illa quam Dioscorides *βατράχιον*, & apium sylvestre nominat: unde & Medici juniores non solum pedem corvinum, sed etiam apium raninum nominarunt, à gemina scilicet animalis, & herbæ alterius similitudine. Hujus herbæ Dioscorides quatuor facit species, & unam ex his inter venena collocat; omnium autem folia & caulem, si apponantur humano corpori, vim ait habere exulcerandi & escharam faciendi. Quare nullo modo suspicandum est illos, quod dixerunt pedem corvinum in medicinis capi, propter excoriationem intestinorum, quos Avicenna allegat 16, tertii eodem capite, de hac pede corvino quam Veteres *βατράχιον* à rana, cujus effigiem repræsentat, nominarunt, intellexisse: sed neque Avicenna secundo canonis, cum scribit radicem pedis corvini conferre solutioni antiquæ, de hac potuit intelligere; ideo, quantum ad hoc, forte non est error Avicennæ, sed male exponentium Avicennam, & nescientium quid duobus in locis, scilicet & secundo canonis, & sexta decima tertii, per pedem corvinum Avicenna intellexerit, si modo & ipse quid esset intellexit; nam 16 tertii, etiam videtur hæsitare, secundo autem canonis omnino Avicenna aberrat, illam ostendens quam supra tetigi in radice ejus-

dem herbæ contrarietatem quod conferat & ſolutioni antiquæ ; & faciat operationem hermodactylorum abſque nocumenro. Quibus verbis poſtremis ſimilia etiam ſcribit 22 tertii, ſupra etiam à nobis allegata, verum utrobique male Paulus & alii ſuper hac medicina, quæ facit operarionem hermodactylorum, ab Avicenna citantur ; neque enim Paulus uſquam herbam *coronopoda*, ſic enim Græci pedem corvinum nominant, hermodactylis comparat, in juvando podagricos. Sed compoſitionem quæ nominatur apud Græcos διὰ κορωνοπόδιυ, id eſt per pedem corvinum, alreri præfert, quæ apud eoſdem Græcos δὶ ἑρμοδακτύλων, id eſt per hermodactylos nominatur ; quarum urramque deſcribit Paulus, lib. 7, in quo de ſimplicibus, & compoſitis agit medicinis, propriis ambas inſcriptionibus notans.

Primæ compoſitionis inſcriptio, atque deſcriptio hæc eſt :

Podagrica per hermodactylum.

Hermodactyli omnino uncias 3, anneſi, cymini Æthiopici, ameos, corymborum, rhymi, piperis longi, zinziberis an, obolos tres, epithymi unciam mediam. Doſis oboli 4, autem 6, datur mane cum condito, vel hydromele.

Secundæ autem compoſitionis per pedem corvinum inſcriptio, atque deſcriptio talis eſt.

Per pedem corvinum compoſitio quæ facit ad ea, ad quæ, & altera per hermodactylon, ſtomacho utilis.

Zinziberis oboli duo, piperis oboli tres, agarici obolus unus, cinci interioris oboli quaruor, radicis pedis corvini oboli ſex : doſis oboli octo ; his autem quibus venter non facile ſolvitur ſiliquæ 23, facit omnino ſeptem, vel octo ferè alvi dejectiones. Harum duarum compoſitionum Paulus, libri ſui de medicina volumine tertio ſecundam per pedem corvinum nominatam dicit ex Alexandri auctoritate primâ eſſe meliorem, ut quæ eamdem fa-

ciat evacuationem, & æque ſedet dolorem, cum hoc quod nihil obeſt ſtomacho; quorum verborum ſententiam male Avicenna duobus in locis antea allegatis, de ſolo pede corvino ſcribit, ipſum hermodactylis comparando, quaſi radix pedis corvini, de qua loquitur Paulus ſit par in cienda alvo radici hermodactylorum, & non habeat potius adſtringendi facultatem, quemadmodum de ea ſentit Dioſcorides, qui ipſam cæliacis prodeſſe teſtatur, ſicuti & ipſe Avicenna primo canonis eamdem dicit radicem prodeſſe ſolutioni antiquæ, & etiam 16 tertii, teſtatur nonnullos eam nominaſſe inter medicinas ad ulcera inteſtinorum facientes, quoniam cæliaca diſpoſitio eſt morbus ſimilis lienteriæ, quæ provenit etiam ex hulceribus inteſtinorum: quare Avicenna, hæc omnia de radice pedis corvini non male ſcribit; illud vero non rectè quod faciat operationem hermodactylorum. Siquis verò miretur quomodo tota compoſitio, per pedem corvinum nominata, eamdem poſſit facere evacuationem quam altera per hermodactylos, cum pes corvinus, vel radix ejus vim adſtringendi habeat, hermodactyli autem magis purgandi, ſciat dictam per pedem corvinum compoſitionem non habere vim purgatoriam ex pede corvino, ſed ex agarico, & cnico, quod cartamum Medici recentiores appellant. Purgat autem æque, atque altera compoſitio per hermodactylos nominata, quoniam doſis ejus eſt dupla ad doſim alterius, & in durum habentibus ventrem majorem multo, quam duplam habet proportionem, ut ex his quæ antea ſcripſimus, ex Pauli ſententia patere poteſt. Neque vero quiſpiam miretur compoſitionem purgativam ex medicina ventrem adſtringente ſuam ſortiri appellationem, quoniam in podagricis doloribus, atque iſchiadicis, non minus quærimus humorum fluxum ad loca dolentia reprimere, quam eorum qui jam fluxere, evacuationem; unde & apud Paulum invenitur alia compoſitio ad podagras, quæ per corralium nominatur, in quam tamen veniunt rhabarbarum & ariſtolochia, medicinæ evacuantes. De eiſdem duabus compoſitionibus quas ſupra ſecundùm Paulum annotavimus, etiam Avicenna meminit fen. 22, tertii capite, de ſolutione

podagricorum, & iſchiadicorum. In quibuſdam tamen medicinis, ſed præcipue in ponderibus medicinarum, à Paulo evariat, ut quas ſcribit Avicenna cum his quas Paulus antea notaverat, conferre volentibus videri poteſt. Hic vero occurret aliquis, ac mihi objiciet, id quod & ipſe Avicenna, atque ejus expoſitoribus antea objectavi, non haberi ex eorum expoſitionibus, neque quid ſit herba tinctorum, ſive cittina, neque quid ſit pes corvinus de quo Paulus (quantumvis male ab Avicenna allegatus) intellexit. Liquet enim ex his quæ antea diximus eſſe herbam pedem corvinum à Veteribus dictam, ex cujus nomine compoſitio tota ſuam habuit appellationem, nundum tamen, quæ aut qualiſnam ſit, fuit declaratum. Cum ergo & quænam aut qualis ſit herba tinctorum ab Avicenna dicta, & quo nomine apud Veteres fuerit inſignita, antea docuerimus, quod etiam de herba fecimus, quam noſtri herbarii pedem corvinum nominant, reſtat ut quid ſit pes corvinus Veteribus & Dioſcoride & Paulo atque Avicenna, doceamus; quandoquidem, & ipſe Avicenna eam ſcripſit compoſitionem cujus pes corvinus eſt pars, ne qui volunt totam facere compoſitionem, in pede corvino dubitent, veluti quidam Avicennæ expoſitores hæſitarunt, aut ſicuti alii, radicem pernitioſam pro ſalutari recipiant. Coronopus, hoc eſt pes corvinus, inquit Dioſcorides, herba parva eſt, oblonga, humi ſtrata, foliis fiſſis: hæc quoque pro olere elixatur, aliqui amnones, aliqui aſtrium, Afri atorſum, Romani caciatticem, nonnulli ſtillago, nonnulli ſanguinari vocant; hujus radix in cibo ſumpta facit ad cæliacos, naſcitur in locis incultis, & in domibus, & in viis. Omiſſis in hac herba barbaris appellationibus, de quibus non poſſumus, ſintne rectè, an perperam ſcriptæ dijudicare, Romana nomina diligentius inſpiciamus, ut, ſi qua eorum ſint depravata, corrigamus, atque inde ad ejus quam quærimus herbæ notitiam perveniamus. *Caciatrice* ſanè videtur dictio corrupta, neque enim eſt Græca, neque Latina; quare puto galitricem eſſe legendum, vel quod magis Græce appellationi reſpondeat galli crus, ut ſicuti ideo apud Græcos hæc herba coronopus eſt nominata, quoniam

corvini pedis effigiem reprefentat, fimili ratione apud Romanos galli crus fuerit nuncupata. Eft enim herba apud Auctorem de fimplici medicina, quem aliqui putant fuiffe Apuleium, galli crus atque etiam fanguinaria nominata, quod etiam nomen vitiatum eft, feu decurtatum apud Diofcoridem; nam fanguinari pro fanguinaria in multis codicibus legitur. De hac autem herbâ idem Auctor de fimplici medicina, quicumque fit refert, eadem quæ de coronopode Diofcorides, quod videlicet in locis afperis, & circà vias; addit autem & rationem cur tam galli crus quam etiam fanguinaria nominetur, eo quod fcilicet naribus impofita fanguinem fluere facit, & habet (ut inquit) in fummitate pedem galli.

Hæc autem herba ipfa, fi quam fit vulgo nota, & fimul ejus nomen vulgare manifeftavero, vereor ne Avicennæ, atque ejus expofitoribus magnam pariam ignominiam, qui in re notiffima pueris hæfitarinr, verum ifta cælare, non eft tam parcere Antiquis quam vitam negligere, quæ, ut antea diximus fub Avicennæ atque ejus expofitorum auctoritate, periclitatur: hæc procul dubio illa eft, quam partim fanguinariam ab effectu jam dicto, partim Capriolam vulgo appellamus. Plinius unam fpeciem graminis facit, & gramen vocat aculeatum, quoniam ei in acumine aculei fint plurimi, quos, ut idem Plinius inquit, convolutos naribus inferunt, extrahuntque, ciendi fanguinis gratiâ, quæ licet verba fcribat Plinius libro 25 de fecunda graminis, ut diximus, fpecie, ipfam nihilominus libro 21, inter herbas aculeatas, fub Græca appellatione coronopodis numeravit, nefciens (ut arbitror) eamdem effe herbam quam Græci coronopoda, & Romani gramen vocant aculeatum, quoniam, ut in æra & lolio, ægilope & avena, aparine & lappa, nuperrimè autem in lyfimachio, & lutea manifeftavimus, plurimarum herbarum quas Latinis nominibus noverat Plinius Græcas nomenclaturas ignoravit, quam Plinii infcitiam etiam in ifatide & glafto, elxine & convolvolo, oxymyrfine & rufco, nardo Gallica & faliunca, in altero noftro libello de Plinii atque aliorum erroribus edito demonftravi-

mus. Quia vero ex tam crebro, & in omnibus Plinii libris passim errore reperto, hæc inter me ac Plinii patronum disputatio habuit occasionem, quem tamen errorem hic se putavit, unicâ codicis emendatione *æram* scilicet in *herbam* mutando, substulisse ; nunc mihi libet eidem Plinii patrono copiosius ostendere quam multas alias Pliniani codicis emendationes eum oporteat excogitare, si errorem quem dixi, pro quo inter nos est orta dissensio, ex toto Plinii codice velit extirpare : neque enim in herbis tantum, atque omni plantarum natura, sed etiam in animalibus, atque metallis, hunc ipsum errorem Plinius admisisse frequentius deprehenditur, ut per singula genera summatim ostendemus.

Plinius libro 20, marrubium nigrum scribit à Græcis prasion nominari, melius autem melanprasion scripsisset, quoniam prasion nomen est commune ad nigrum & album : postmodum libro 27, de eodem marrubio nigro sub ballotes nomine agit, nesciens tamen eamdem herbam quam Romani marrubium nigrum appellabant, à Græcis balloten nominari. Argumentum inscitiæ, quod balloten alia nuncupatione porrum nigrum, & non marrubium nigrum Plinius à Græcis vocari eodem loco testatur; de quo Plinii errore, quo sæpius prasson, id est porrum pro prassio, id est marrubio scribit nominum vicinitate deceptus, etiam in altero libello fecimus mentionem.

De atriplice Plinius multis scribit in locis, sed libro præcipue 20, ubi vires ejus ac proprietates explanat, hoc tamen olus ex aureo colore dici à Græcis χρυσολάχανον, videtur Plinius nescivisse, cum libro postmodum 27, agat de chrysolachano tamquam de herbâ penitus ab atriplice differente ; adeo ut huic contrarias omnino illis quas antea atriplici adscripserat vires assignet, libro si quidem 20, atriplicem morbos regios, ac pallorem facere ex Pythagoræ tradit auctoritate : postmodum libro 27, de chrysolachano agens, ait fuisse aliquos qui hanc herbam dicerent alligatam regium morbum habentibus; ita ut spectari possit sanare id malum, ad quem pariter effectum de chrysolachani semine si bibatur Dioscorides auctor gravissimus testificatur. Eamdem vero

herbam ſignificari à Græcis nomine chryſolachani, & à Latinis atriplicis, præter Dioſcoridis idem aſſeverantis auctoritatem, color etiam herbæ atriplicis aureum colorem repreſentantis, unde illi à Græcis inditum nomen chryſolachanum, manifeſtiſſimè indicant.

Sambucum Plinius libro 24 inter arbores collocat, ejus denique effectus in Medicina præcipuos exponit; deinde eamdem arbuſculam libro 27, ſub acteæ nomine pingit, gravi florum odore, caulibus aſperis, geniculatis, ſemine nigro, ut hederæ baccas mollibus, naſcique opacis, aſperis & aquoſis, autumat: quæ omnia indicia ſambucum demonſtrant, cum etiam eamdem acteam, ſicuti ſambuci radicem ad interiores fœminarum morbos dari Plinius præcipiat. Neque vero poterit illud Plinii patronus pro Plinio reſpondere, Plinium ſub acteæ vocabulo ebulum intelligere, atque ita non de eadem planta, ſed diverſis, ſub variis nominibus, altero Græco, altero Latino, in locis tractaſſe differentibus; non poteſt, inquam, hoc pro Plinio dicere, quoniam Græci ſambucum non acten, ſed chamæacten potius, id eſt terreſtrem ſambucum, nominant. Et hæc quidem, quantum ad plantas attinent, dicta ſufficiant, quas Plinius viſus eſt non modo nomine, ſecus etiam natura putaſſe diverſas.

Auctor autem ejus libri qui *cornu copia* inſcribitur, miratur de Plinio tantæ doctrinæ atque auctoritatis viro, quod in genere animalium daſipodem à lepore diverſum fecerit, cum tamen (ut inquit) unum idemque animal ſit; miratur inquam, ut qui non animadverterant, multos alios ejuſdem Auctoris ſimiles, etiam in aliis rebus, & non in lepore tantum errores; & multis argumentis conatur oſtendere, daſipodem à lepore non eſſe differentem, tum ex ratione nominum, tum ex his quæ de daſipode ſcribit Ariſtoteles lepori congruentibus, tum etiam ex communibus Græcis, atque Latinis tam de daſipode, quam etiam de lepore adagiis. Quæ omnia argumenta, ego qui ubi poſſum, Plinii auctoritatem perlubens defendo, poſſum ea ratione refellere, quod nihil impedit duo animalia proximi generis inveniri, quibus prop-

ter naturæ affinitatem eadem omnia, quæ ille Auctor adducit possunt convenire, veluti leporem atque cuniculum quem puto à Græcis dasipodem nominari; sed si hujus erroris ita Plinius excusetur, alteri tamen sibi familiari omnino erit obnoxius, quoniam, & de dasipode, & de cuniculo in suis libris faciat mentionem, qui tamen unum idemque sunt animal, sicuti de caprea & de dorcade; de vespertilione atque nycteride; siluro & glani, passere & psitta; quæ animalia, modo Græce, modo Latine nominat, neque Lectorem admonet eadenne sint, an diversa, ut plane videatur ipse putasse, non eadem. Sicuti inter metalla argentum vivum, ab hydrargyro diversum esse existimasse Plinius plane convincitur: nam cum libro 34, argenti vivi naturam exposuisset, mox de hydrargyro suo se loco dicturum pollicetur; atqui omnes, qui etiam paucis græcantur, idem metallum significari, apud Græcos hydrargyri nomine, quod apud nos argenti vivi, minime ambigunt, quando ea etiam, quæ de argenti vivi natura scribit Plinius, ut quod venenum omnium est rerum, ac omnia vasa exedat, atque perrumpat tabe dirâ, de hydrargyro pariter Græci auctores, ac præsertim Dioscorides, tradunt; qui etiam idem prope artificium quod Plinius conficiendi hydrargyrum, ex minio docet, ne quis forte argentum vivum, esse nativum, hydrargyrum vero factitium opinetur, atque ea ex causa Plinium in eis variis nominibus usum fuisse, arbitretur; quoniam, ut diximus, tam arte, quam à natura factum uno nomine à Græcis hydrargyros, sicuti à Latinis argentum vivum nuncupatur. Hos atque alios idem genus errores, hoc est similes illi quem de æra ac lolio, in altero nostro libello adscripsimus Plinio, si Plinii patronus sciverit excusare, melius tamen quam in suâ fecerit præfatione *æram* in *herbam* convertendo, fatebor illum jure apud cives suos posse gloriari, & corona civica meritum coronari, pro restituta suo civi pristina dignitate; alioquin ex sola super æræ defensione sciat se de una tantum festuca triumphasse, si modo & de festuca triumphavit, quam nos male fuisse in *herbam* mutatam, multis antea rationibus adversus Plinii patronum demonstravimus.

Non

Non multum absimilis, immo prope germanus his quos nuper tetigimus, est error Plinii in phalangio myrmetio, quem Hermolaus, lapsu memoriæ contigisse opinatur. Nos vero eamdem habuisse putamus occasionem, quam & superiores Græcæ scilicet eruditionis in Plinio defectum, quo cum nesciret quid verbum *myrmetion* significaret apud Græcos, plura quam oportuerit libro 29, phalangiorum genera enumeraverit; nam quamvis quarto ejusdem libri capite, ita scripsisset: Phalangium est Italiæ ignotum, & plurium generum, unum formicæ simile, sed multo minus, ruffo capite, &c. Paucos tamen versus infra veluti dicti prioris immemor, idem genus frustra repetiit, ita scribens: Myrmetion formycæ simili capite, alvo nigra, guttis distinguentibus; non differre autem hoc à superiori, qui Græcos Auctores, & præcipue Nicandrum atque Galenum, & inter recentiores Actium, de generibus phalangiorum scribentes legerit, minime dubitabit, quod & Medici, qui Græca nesciunt, vel ex Avicenna poterunt discere, qui libro quarto ubi de rutelis agit, Galenum & quosdam alios citat Auctores de multis scribentes generibus rutelarum, & tamen de uno tantum meminit, quod formicæ habeat similitudinem. Phalangion autem Græcis, & rutela Arabibus, est id araneorum genus, quod vulgo tarantulam dicunt, ut multæ indicant proprietates quas de phalangiis prisci Auctores tradiderunt, & nos quoque nostro sæculo in eisdem conspicimus, sicuti in terræ dehiscentis caverniolis domicilia, & prolis numerositatem, quæ parentes ubi emerserit enecat, casus etiam qui hominem à tarantula tactum excipiunt, stuporem videlicet, genuum labefactationem & totius corporis tremorem, nato vel inde proverbio ut homines, qui in uno loco nequeunt consistere, dicamus à tarantula morsos. Ut alia non omnibus adeo nota signa prætercam, quæ de phalangiorum ictu Veteres prodiderunt, & de tarantulis nostri temporis Medici vera esse experientiâ magistrâ didicere, qui plura etiam quam Veteres de hujus reptilis natura animadverterunt, ut, quod hominem talibus afficit imaginationibus qualibus ipsum inhærentem, cum mordet, invenerit; quo fit,

ut si quis se Regem esse cogitaverit, tunc cum mordetur, seu icitur, post talem ictum in eadem cogitatione usque perseveret, necquis illi facilè persuaserit, quamvis humilis conditionis homini, quod Regia dignitate non potiatur. Equidem miror Plinium de hoc animali, cujus ictus tam varié hominem afficit, quod suis temporibus fuerit Italiæ ignotum prodidisse, nisi quispiam suspicetur fuisse homines sequentibus annis adeo maleficos, qui venenum istud peregre advectum in Apuliæ campis, tanquam frumentum seminare studuerint.

Verum (ut rem istam magis errori Plinii, quam hominum tribuam malignitati) movent unus aut duo huic ferè germani errores Pliniani, qui sui de naturali historia libri volumine vigesimo sexto, statim circa initia, lichenas morbum (ut ipse ait) gravissimum, non Italiæ modo, verum etiam universæ prope Europæ incognitum fuisse scribat ævo priore, cum tamen Hippocrates Auctor Plinio vetustior, & in Græcia natus Europæ parte non parva, in suis libris, & præcipue in eo qui inscribitur, aphorismi, crebram faciat de lichenibus mentionem; quod non fecisset, si ejus ætate totius ferè Europæ hic morbus fuisset incognitus, quem nos putamus, ut in libro nostro de morbo Gallico scripsimus, etiam ante Tiberii Claudii Cæsaris principatum, Italiæ fuisse cognitum, licet non multis, quia carebat nomine, donec Medici Græci qui urbem Romanam frequentare cœperunt, eumdem morbum suæ linguæ vocabulo lichenas nominantes, fecere illustriorem, sicuti iidem Græci dolorem intestini laxioris primi colicum, quo nomine nunc quoque utimur vocitantes fuere in causa, ut Tiberius etiam princeps primus, id malum in Italia sensisse à Plinio scribatur. Idem puto in phalangio contigisse, hujus scilicet vocabuli significatum potius Plinii ætate fuisse Italiæ ignotum, quam venenum, sive reptile venenatum; nam & hoc ipsum, magis quam aliud, suspicandi plurimam mihi dedit occasionem quorumdam ætatis nostræ, vel qui Paulo ante hanc viguerunt inscitiam Medicorum, quæ me aliquando derisui fecit obnoxium. Nam cum sermo haberetur inter Medicos, è quo-

rum numero ego quoque unus eram licet tunc essem cæteris junior, atque ideo minoris auctoritatis coram viro gravissimo, atque eodem potentissimo, qui à pueritia in aula Alfonsi illustrissimi Regis Aragonum fuerat educatus; cum, inquam, sermo incidisset de reptili venenato, quod Apuliam maxime infestat (vulgo tarantula nominato) cunctis aliis qui aderant Medicis senioribus asseverantibus nullam fieri de hoc animali apud Veteres mentionem, me autem uno contradicente, atque id à Græcis priscis phalangion nominari contendente, ab Arabicis Auctoribus rutellam, visus sum pene delirare, palam viro quem dixi rerum fortunæque potente, coram quo hæc disputatio agebatur; contra me ferente sententiam, quoniam se suis auribus dicebat audisse, Medicos quoque Alfonsi Regis Aragonum asserentes, antiquos Medicos nihil in suis libris de tarantula scriptum reliquisse. Quæ sane assertio Medicorum multo plus habet erroris quam Pliniana, siquidem hæc Italiæ tantùm, illa vero omnibus terris superiori ætate tarantulam facit incognitam: alioquin de ea sub vocabulo aliquo, vel Græco, vel Barbaro mentio apud priscos haberetur, quam tamen illi fuisse habitam visi sunt omnino pernegasse. Quidam vero Medici, etiam ex recentioribus, qui de venenis suos tractatus inscriptos reliquerunt, de rutelis, phalangiis, ac præterea tarantulis meminere; verum tarantulas, non ad caput de rutelis, sed potius de scorpionibus referunt: unum tamen scorpionum genus, quod tertium numero ponunt, etiam *tarantulam* à Rasi vocari testantes, ab Avicenna vero *sebel*, vel *sebegi*. At (ut dixi) quæ hodiè *tarantula* nominatur, apud Græcos *phalangii*, apud Arabes *rutelæ* nomine celebratur; argumento, quod omnia ferè quæ Græci de phalangiis eadem scribat Avicenna de rutellis, Galenum insuper citans de speciebus rutelarum scribentem, quæ idem auctor scripserit de generibus phalangiorum.

Sed ad Plinium revertamur à quo libenter ad medicos celebres facimus digressionem, ut ejus errores multo leviores aliorum comparatione faciamus; nisi quod & huic Plinii in phalangio errori,

Fff ij

quem supra tetigimus, alter sanè gravior annecti potest, quo videtur ipsemet à se ipso in suis scriptis dissentire. Plinius, siquidem libro undecimo tractans de generibus araneorum inter quæ primum phalangia connumerat, supervacuam tamen eorum censet commemorationem, ob magnam illorum, ut inquit, notitiam; ut videatur pariter Plinius ejus quod dixerat libro undecimo oblitus, postmodum libro vigesimo nono, phalangia Italiæ ignota scripsisse. Dicet fortassis quispiam ea phalangia, quæ hoc in libro scribit Plinius esse Italiæ ignota, diversa ab illis quæ libro undecimo ponit inter genera araneorum. At hoc commentum, tum omnibus adversatur Auctoribus qui de omnimoda phalangiorum varietate scripserunt, tum præsertim est ipsi Plinio contrarium, qui id genus phalangiorum, quod à similitudine formicarum Græce *myrmecion* nominatur, & inter alia Italiæ ignota libro vigesimo nono numeravit, & inter araneorum libro eodem pariter collocavit. Æque Aristoteles libro de Historia Animalium octavo araneorum & phalangiorum genera una divisione partitur, ut non possint hæc esse vulgaris notitiæ, atque ob id nec dictu necessaria, si Italiæ fuerit phalangiorum genus, quemadmodum libro allegato Plinius scribit, ignotum.

Sed jam herbis reptilibusque relictis, venio ad alteram disputationem, quæ etsi de nominibus esse videatur, ad duas tamen medicinæ attinent partes, quarum altera anatomice, altera pathognomice à Græcis nominatur, in quibus optatem Hermolaum, ita sicuti in altera quæ herbarum doctrinam continet, fuisse exercitatum. Non tamen mihi eadem deerit pro amplissimo viro excusatio, qua etiam Plinium aliquando circa herbas errantem excusavimus, minus mirum videri debere Plinium virum in Reipublicæ Romanæ administratione occupatissimum, illa ignorasse, in quibus etiam Avicenna qui medicinæ Princeps ætatis nostræ Medicis fuisse videatur, non parum errasse deprehenditur. Cur enim non possim Hermolaum, non minorem dum vixit in Republica Veneta virum, quæ ferè Romanam magnitudinem æquavit, simili ratione in aliena præsertim professione defendere,

ſicubi in his quæ ad medicinam attinent, vel falsò putaſſe aliquid, vel inepte alios errantes excuſaſſe à Plinii patrono reprehenditur, veluti in epigloſſe, arteria, & gula, & in lactibus, in quibus Theodorum Gazam conatur protegere Hermolaus, in argemis & albuginibus, in ſtrumis & pluribus aliis? Quæ licet & ipſa videantur ad artem medicam pertinere, quia tamen quæſtio eſt magis de nominibus quam de rebus ipſis, veluti quæ ſint curæ minutioris, à me indefenſa conſulto relinquentur. Cur vero in epigloſſe, arteria & gula putet Plinii patronus erraſſe Hermolaum, non intelligo; quoniam de his, neque in Plinianis caſtigationibus, neque in gloſſemmatis ad Alexandrum Pontificem, quicquam ab eo reperi ſcriptum, niſi forte Plinii patronus Hermolaum culpat, tamquam indiligentem Pliniani codicis caſtigatorem, quod locum illum libri undecimi capite vigeſimo ſeptimo, ubi Plinius inter alias humani corporis partes de epigloſſi, arteria, ac gula facit mentionem inemendatum reliquit, quem Plinii patronus putet ſe rectè emendaviſſe, ita ſcribendo: Sub ea minor lingua, quæ nulli ova generantium, opera ejus gemina duabus interpoſita fiſtulis: interior earum appellatur arteria ad pulmonem atque cor pertinens, hanc operit in epulando epigloſſis ſpiritu, ac voce illac meante, ne ſi cibus ac potus in alienum deerraverit tramitem, torqueat; altera exterior eſt, appellatur ſanè gula qua cibus atque potus devoratur, tendit hæc ad ſtomachum inde ad ventrem. Sic quidem legendo verba codicis putat Plinii patronus verum ſenſum Plinio reſtituiſſe, neque videt quantum adhuc ipſa verba, ita correcta errorem contineant. Ut enim illud taceam, quod etiam in æra ac lolio Plinii errori tribuimus, non decere Plinium hominem Latiniſſimum in eodem pene verſu eamdem rem, modo Latine, modo Græce nominare; alterum in his habetur erratum, & quidem maximum, quod etiam Plinii patronus in ſua anatomice poſuit, adeo quod nullum ipſe habet excuſationis locum in eo errore, cui non modo in Plinii emendatione viſus eſt conſentire, ſed præterea etiam in ſuo opere proprio confirmaverit, in quo pariter ad Plinii, vel Pliniani codicis male à

ſe emendati imitationem ex duabus fiſtulis arteriam quidem ad cor atque pulmonem pertinentem poſuit interiorem, gulam vero qua cibus & potius devoratur, exteriorem. Contra naturæ poſitum, qui viam vocis ac ſpiritus fecit exteriorem, cibi autem ac potus interiorem, quæ res etiam in homine vivo citra diſſectionem poteſt dignoſci, primo ſe gutture, unde vox alitus quæ procedit, ſe in parte anteriore colli repreſentante. Hoc autem guttur Plinii patronum, non modo in emendatione Pliniana, ſed etiam in ſua anatomice poſuiſſe in parte poſteriori, indicant ipſius verba libro tertio capite octavo ejus operis, in hunc modum ſcripta : Binæ ab oris faucibus canaliculæ coeunt; quarum altera brevior, interiorque eſt, tracheam arteriam vel pharynga Græci, Latini guttur vel ſpiritualem fiſtulam appellant; altera vero longior, exteriorque eſt, iſophagum Græci & ſtomachum, Latini gulam & cibalem fiſtulam vocant; in quibus verbis plura ſunt errata.

Sed gravius ex illis primo perſequemur in quo Plinii patronus ſibi contradicit; nam libro & capite dictis, gulam ponit in parte colli anteriore, alioquin non eſſet exterior tracheæ arteriæ interiori collata, niſi forte, id quod poſterius eſt & dorſo proximius, putet exterius. Quod vero prius, & reſpicit pectus velit interius appellare, qua appellatione nulla eſſe poteſt abſurdior, poſtmodum libro eodem capite decimo ſeptimo de gula, ita ſcribit : Et nunc gulæ ratio reddenda eſt, quæ poſt tracheam arteriam poſteriorem locum tenet, ex quo dicto ſequitur tracheam arteriam gulæ comparatione eſſe exteriorem, & conſequio anteriorem, quam tamen in Plinii emendatione fecit interiorem, atque ideo poſteriorem; quo fit ut eadem colli pars, ſive trachea arteria, ſive gula, poſitum habeat interiorem & exteriorem, poſteriorem & anteriorem. Verum hæc contradictio, non in diverſis capitibus tantùm, ſed in uno etiam, ſcilicet octavo, ejuſdem libri apparet; nam circa ejus capitis finem ſcribit Plinii patronus hæc verba de trachea loquens arteria : Ante gulam poſita eſt, quia cor in priore parte collocatum eſt. Quamvis autem eadem contradictio in verbis Plinii libro undecimo à Plinii patrono emen-

datis non appareat, non tamen & ille error sit minimus, quin meo judicio maximus, si parte quidem colli priore cibum & potum devorari, posteriore autem spiritum ac vocem commeare Plinius existimaverit, ut sanè eum existimasse fateri sit necessarium, nisi eadem verba aliter quam à Plinii patrono castigentur. Quare nos qui ubi possumus errorum culpam qui in Plinianis codicibus, vel impressis, vel manuscriptis inveniuntur, in Impressores atque Librarios & male Plinium emendantes, potius rejiciendam quam ipsi Auctori adscribendam judicamus, totum hunc Plinii locum de cujus veritate disputamus, ita scribendum existimamus: Sub ea minor lingua epiglossis appellata; opera ejus gemina; duabus interpositæ fistulis, exterior earum arteria ad pulmonem atque cor pertinens, hanc operit in epulando, ne spiritu ac voce illac meante, si cibus ac potus in alienum deerraverit tramitem, torqueat; altera interior est, appellatur sanè gula, qua cibus atque potus devoratur; tendit hæc ad stomachum, &c.

Sic quidem verba Plinii legendo ille error evitatur quem Plinio quispiam merito posset objicere, modo linguam minorem, modo epiglossin eamdem gutturis partem nominanti; nam in nostra emendatione, in qua postea verba, *lingua minor*, statim illa alia epiglossis appellata subjicimus, non est affectatio græcitatis, sed declaratio quomodo uno vocabulo lingua minor à Græcis nominetur; declaratio, inquam, non solum apud Plinium, sed etiam alios Auctores Latinos sæpe usitata: ac præterea de medio tollitur alter gravissimus error, quo tracheam arteriam habere in collo positum posteriorem ipsum putasse Plinium possemus judicare, si ut male emendati codicis verba præ se ferunt, hanc quidem scripsisset interiorem, gulam verò exteriorem. Nostra quoque emendatio alteram amovet Plinii verbis contradictionem, diversam ab illa quam Plinii patrono paulo ante objectavimus; nam si *ne* particula prohibitiva præponatur verbis illis *si potus*, ut in sua emendatione præponit Plinii patronus, & non prioribus ita legendo, ut nos legendum ducimus, *ne si spiritu ac voce illac meante*, illud sequetur absurdum, tracheam eodem momento temporis opertam esse & apertam, siquidem in epulando operitur, spiritu vero ac

voce meanre aperitur; nam eâ opertâ à minore linguâ, neque vox neque ſpiritus peream poteſt meare. Hanc autem emendationem noſtram, codicis hoc in loco Pliniani, mire confirmat Auctor ejus libri qui *Cornu Copia* inſcribitur, vir non modo vocabulorum, ſed plurimarum eriam rerum, id quod ſui indicat libri titulus cognirione præclarus, Plinii vero præcipuus imitator adeo ut videri poſſit mulris in locis ejus paraphraſtes, de eiſdem rebus de quibus Plinius in hunc modum ſcripſit : Arteria eſt quæ ad pulmonem ducit, tegiturque epigloſſe, quam & minorem linguam vocant, ne ſi potus cibus ve in epulando voce meante in alienum deviaverit tramitem, torqueat, & hæc exterior eſt, gula vero inrerior qua cibus atque potus devoratur ; tendit hæc ad ſtomachum, inde ad ventrem.

Vidit homo eruditus ſe, ſi tracheam atteriam interiorem, gulam vero poneret exteriorem, facturum ex homine monſtrum, ſi etiam *ne* adverbium prohibendi, eodem quo Plinii pattonus ordine collocaret acturum rem nihilominus impoſſibilem, hominem ſcilicet, tecta ab epigloſſi via quæ ad pulmonem ducit, loquentem. Hujus vero rei impoſſibilitatem ſciunt Medici docti, vel etiam Philoſophi, qui quomodo animal vocem emittat, non ignorant. Sic quidem ego & Auctor *Cornu Copia* Plinium à tam craſſis errotibus quibus eum fecit obnoxium Plini parronus, libetavimus. Urinam tam facile multa alia in eodem libro, atque eodem capire, errata ita poſſemus emendare, ut culpa magis in Librarios, quam in ipſum Auctorem referretur : quia veto (nos ingenue fatemur) hoc neſciremus facere, & plura eotum ad anatomicen, tum humani corporis, tum reliquorum animalium pertinent, libuit Plinii patroni hominis, non raro in ſua ſe anatomice jactantis, ingenium expetiri ſi ſciat ipſe Plinius, quem in ſuam clientelam recepit, etiam in iſtis erroribus quæ à nobis notabuntur propugnare. Erunt aurem ex eodem libro 11, atque eodem capire 37, in quibus Plinius de arteria, epigloſſe, & gula verba facit, excerpti, ne quis forte ſuſpicetur nos velle exſpatiari, ex variis Plinii libris, plures hujus Auctoris errores ſedulò perquirentes

tes quos possimus alios super alios coacervare. Quod si etiam facere studuissemus, non malo animo erga Plinium id egissemus, sed bono porius, ur Plinii patronum ad alias Pliniani codicis emendationes quæ magis Auctorem ipsum ab erroribus vindicarent excogitandas incitaremus. Verum hi in præsentia sufficient, ex quibus prudens Lector dijudicabit quantum Plinii patrono laboris parare potuissemus, si non in unum unius libri caput, sed in plura multorum librorum inquirere, & nihil intactum, aut indiscussum relinquere voluissemus.

Primum quod in capite libri 11, 37, nunc examinando, notu dignum nobis occurrit, est Plinii verborum repugnantia, error non parvus à doctis judicandus; nam cum de cornibus loquitur animalium, mobilia hæc ut aures in Phrygiæ armentis ait; deinde paucos post versus ita de eisdem cornibus scribit: Cæterorum ossibus adhærent, cervorum tantùm cutibus enascuntur. Sed Plinii patronus pro Plinio respondeat quo pacto in Phrygiæ armentis cornua aurium habebunt mobilitatem, nisi & in his quemadmodum in cervis è cutibus enascantur; neque enim ex carne cuti subjecta ortum habere possunt, quoniam, ut auctor est Aristoteles libro de Historia Animalium tertio, cutis caput nulla carne interposita tegit: quare reliquum est, ut ex ossibus capitis oriantur, ac proprer originis continuitatem soliditatemque, eamdem cum ipsis servent immobilitatem. Si igitur cervis tantùmmodo è cutibus cornua nascuntur, ut videtur sentire Plinius, solis his, non autem Phrygiæ armentis erunt mobilia, ut aures. Aristoteles sanè libro de Historia Animalium tertio, cornua cuti potius quam ossibus adhærere eo probat argumento, quoniam & in Phrygia & alibi boves sunt qui cornua proinde ut auriculas moveant, quo etiam in loco ostendit cervorum cornua, non eo differre à cæteris, quoniam in ipsis è cutibus enascuntur, in aliis vero cornigeris ex ossibus capitis, sed ob id potius quod cornua parte plurima cava sint ab radice, quatenus ambiunt os quod ortum à capire cavo cornu inferirur, totumque implet in mucronem, tamen solidum exeunt, & simplici parte extrema constant, cervis tan-

tummodo tota solida , & spansa in ramos. Partem enim cornuum cavam in cæteris animalibus è cute nasci libro 2 de Historia Animalium manifeste docuerat , ac boum exemplo confirmaverat. Eamdem cornuum naturam , & per genera animalium differentiam Aristoteles repetit libro de partibus animalium tertio , his verbis : Cervis duntaxat tota cornua solida ac decidua , tum utilitatis causa , tum ut onere leventur , tum ex necessitate præ pondere cæteris aliquatenus cava, & in mucronem demum concreta sunt , quoniam ad ictus hoc fit commodius ; sed ne pars cava inutilis , qua cuti annectitur solidum quoddam ossibus exortum , ingreditur eam, impletque totam ; sic enim sita, compactaque, ad vim inferendam commodissima.

Jam ex his verbis , & aliis paulo supra ex libris Aristotelis de Historia Animalium recitatis , facile apparet , tam cæterorum animalium , quam etiam cervorum cornua , sic cuti potius quam ossibus adhærere , in reliquis tamen animalibus ne pars cava qua cuti ab radice annectitur debilis sit , solido quodam ex ossibus orto eamdem cavitatem impleri. Eatenus igitur cæterorum cornua ossibus adhærescunt , quatenus substantiam quamdam solidam, sive os sit , sive ex osse orta sua ambiant cavitate , eamdem tamen cum cornibus cervorum è cute capitis habent originem , alioquin Phrygiæ bobus , vel ut Plinius inquit , armentis non essent cornua ut aures mobilia.

Similis etiam contradictionis eodem in loco , ubi agit de cornibus animalium Plinius convincitur : fatetur enim cervas non habere dentes superiores sicuti neque mares , & tamen carere cornibus ; ac non multo post inferius ait , solos & camelos ex his quæ non sunt cornigera in superiore maxilla non habere priores dentes. In hac igitur natura , & cervæ fœminæ , & cameli communicabunt , qui neque cornua , neque dentes habebunt superiores , priores scilicet. Hos enim inesse cornigeris libro de partibus animalium tertio negat Aristoteles , ubi ita scribit : Cornigerorum nullum utrinque dentatum est. Superne enim primores dentes non habent , quippe cum hos adimendo non addiderit cor-

nibus. Cur vero cervæ cum ſicuti mares ſupernè primoribus dentibus careant, cornua tamen non habeant, cauſam eo in loco ſubjungit Ariſtoteles; ſicuti & de camelis qui ſimiliter utrinque dentati non ſunt, hoc eſt prioribus in ſuperiori maxilla dentibus vacant, ut ſcribit idem Ariſtoteles libro de hiſtoria animalium ſecundo : mox ſecundo libro de partibus animalium generalem quandam attulit rationem. Non igitur ſoli cameli ex his quæ non ſunt cornigera, erunt altera tantum parte dentati, quando & cervæ non ſunt cornigeræ, & dentibus æque carent ſuperioribus. Quod ſiquis Plinium dixerit de maribus, non autem de fœminis intelligere, atque ideo ſolos camelos excipere meminerit, is tam fœminini, quam etiam maſculini ſexus, multa animalia vacare cornibus, atque ideo Plinium, quamvis *ſoli cameli* ſcripſerit, ſub ea tamen exceptione etiam camelorum fœminas comprehendiſſe, quando, ut Grammatici inquiunt, maſculinum genus concipit fœmininum, quando etiam ſub non cornigeris, tam fœminæ quam mares continentur, ut qui alterum genus excipit alterum debeat excipere. Idcirco enim Plinius dicit *ex his quæ non ſunt cornigera*, non autem *ex his qui non ſunt cornigeri*, ut ſe utramque complecti naturam verbo neutri generis ſignificaret, tam fœminarum non habentium cornua, quales ſunt & cervorum, & camelorum quos ſolos Plinius ſcribit, ex his quæ non ſunt cornigera, non habere dentes; oblitus (ut videtur) eorum quæ antea de cervis fœminis diſſeruerat, dum earum argumento Ariſtotelem cauſam afferentem, cur nullum cornigerorum utrinque dentatum ſit, quod ſuperiores quibus carent dentes in cornua abſumantur, refellere non dubitavit. Qui putant (inquit) eos ſcilicet dentes maxillæ ſuperioris primores (de his enim loquebatur) in cornua abſumi, facile coarguuntur cervarum naturâ, quæ neque dentes habent, ut neque mares, neque tamen cornua.

Plinium autem decuit de Philoſophorum principe ſaniora ſentire, neque ipſum tam facile poſſe coargui pronunciare, in re præſertim de qua ipſemet ſibi Ariſtoteles objicit, & ſolutione ſatisfacit, libro ſcilicet ſecundo de partibus animalium, ubi ita ſcri-

bit: Cur cervæ cornibus careant, cum dentes similiter habeant, atque mares, causa est, quod eadem sexûs utriusque natura, & cornigera est; sed fœminis adempta sunt cornua, quoniam ne maribus quidem utilia sunt, sed virium meliorum beneficio mares minus offenduntur. Quæ quidem Aristotelis verba, aut Plinius non vidit, aut se vidisse dissimulavit, ne, sicuti Aristotelem se facile coarguisse videri volebat, ita etiam facile summum Philosophum defendi posse ex ipsius, & non alterius verbis fieret legentibus manifestum. Eligat ergo hoc in loco Plinii patronus utram Plinio mallit adscribere, an indiligentiam, qui omnes Aristotelis de natura animalium non legerit libros, an iniquitatem, qui eum, quem se in Historia Animalium referenda fatetur habuisse præceptorem indictâ causâ damnare studuerit, atque argumento cervarum convictum pronunciaverit, non confutatâ illâ quam ipse Aristoteles super eisdem cervis attulerat, siquis forte eas voluisset objicere, ut sanè Plinius objicit, ratione. Scribit prætere Plinius in eadem libri, & capitis parte, bisulcis bina esse cornua, quod dictum si universaliter accipiatur, non erit omnino verum, quoniam sues sunt de genere bisulcorum, & tamen cornua non habent. Quare rectius Aristoteles, ita de eisdem animalibus scripsit: Cornigerorum pars maxima bisulca, neque etiam bisulca omnia: si cornigera sint, binæ habent cornua; nam orix, quod etiam Plinius fatetur in sequentibus, bisulcum animal est, & tamen unicorne. Hoc ergo in loco, ubi inquit naturam bisulcis bina cornua tribuisse, oricem excipere oportuit, qui uno tantùm armatus est cornu, sicuti in eodem pene versu, asinum Indicum exceperat, qui solus inter solipedes est unicornis.

Proximus est à cornibus ad pilos transitus quorum defluvium, in muliere rarum, in spadonibus non visum Plinius scribit, nec in uno alio ante veneris usum, atqui mulieribus, & pueris etiam ante veneris usum, & propterea etiam spadonibus frequenter capilli defluunt. Quod si Plinius de eo defluvio pilorum, seu capillorum intelligit, quod universim fit, quod proprie calvicium nominatur (ut auctor est Aristoteles quinto de generatione ani-

malium), mirum eſt, cur Plinius calvicium rarum eſſe in mulieribus dicat, atque in ſpadonibus minimè viſum, ſicuti neque ante veneris uſum, cum par ratio ſit de omnibus, ut Ariſtoteles etiam loco antea allato declarat, his verbis: Mulieres non calvent, quoniam natura earum ſimilis puerorum naturæ. Utraque enim ſterilis ſeminalis excrementi ; ſpadones etiam non calveſcunt, quoniam in fœminam mutantur, & pilos qui poſtea gignuntur, aut non producunt, aut amittunt. Si igitur ratio Ariſtotelis aliquid valet, calvicium in mulieribus, pueris, atque ſpadonibus æque, aut rarum, ut nullum: ſed libro de Hiſtoria Animalium tertio, idem Ariſtoteles apertum eſſe inquit mulieres, & pueros, & ſpadones calvicii eſſe immunes.

De ſtruthocamelis etiam Plinius ſcribit quod alitum ſola, ut homo utrinque palpebras habet, quaſi ſtruthocamelus vera ſit ales, & non ambigui inter quadrupedes, atque alites generis ; nam ſi ales eſſet, in ſublime volatet, aut pennas ad volandum commodas haberet ; & ſi quadrupes eſſet, pennas non haberet, ſed pilos, ut quadrupedes tamen pilos ſive habet in gena ſuperiori, ut ſentit Ariſtoteles libro quarto de partibus animalium, qui de palpebra genæ inferioris in ſtruthocamelo, nec unum facit verbum, quoniam neque ut avis eam habet, neque ut quadrupes, & ſanè palpebra genæ ſuperioris in hoc animali plures habet pilos viſu conſpicuos. In gena autem inferiori ſunt adeo exigui, & numero, & magnitudine, ut vix hæc palpebra videatur ; quare, ut puto, de ea nullum Ariſtoteles habuit mentionem. Verum hic error Plinii ſtruthocamelum alitibus annumerantis, quem tamen Ariſtoteles ancipite cenſuit eſſe naturâ, neque magis alitem referre quam quadrupedem, immo forte magis quadrupedem, quia de palpebra ejus loquitur ſuperiore, quam ut quadrupes habeat, hic inquam error, ſi error ſit nominandus, facile Plinio condonari poteſt, cum alter ſit gravius apud Ariſtotelem ipſum de eiſdem palpebris, ſive ciliis animalium, erratum, in quibus idem Ariſtoteles ſibi ipſi videtur repugnare ; nam libro ſecundo de partibus animalium Theodoro Gaza inter-

prete ſcribit hæc verba : Et inter omnia, quæ pilos habent homo unus cilium in utraque palpebra habet. Contrarium ſcribit hìc Auctor libro ſecundo de Hiſtoria Animalium, his verbis. Cilium etiam cum cæteræ quadrupedes non in utraque palpebrâ habeant, ſimiæ habent, quamquam prætenue, atque prolixius potiſſimum in inferiore. Cum ergo ſimiæ habeant in reliquo corpore pilos, & etiam in utraque palpebrâ, ut ſcribit hoc loco Ariſtoteles poſtmodum, cum alibi ſecundo ſcilicet de partibus animalium pariter ſcribat inter omnia, quæ pilos habent ſolum hominem cilium in utraque palpebra habere, ipſe ſibi ipſi aperte contradicit. Hanc in verbis Ariſtotelis contradictionem ſolvat Græcus Grammatiſta, ſalva Theodori Gazæ interpretatione, aut ſi non poteſt hoc facere, me æquo animo patiatur aliquando ab eadem interpretatione diſcedere, ut verum ſenſum Ariſtoteli Philoſophorum principi reſtituam; neque tam moleſte ferat ſicubi ſcripſerim bonum quandoque Theodorum in ſuis tranſlationibus dormitare, quando eadem verba de Homero Poetarum antiſtite ſcripſit Horatius, & tamen à doctis omnibus toleratur.

Quis majora, vel meliora de Plinio ſentit, quam Hermolaus cujus exiſtimationem nullo modo convelli poſſe fatetur, & quibus ille non ſapit, plane indoctos habendos cenſet? In ſuo tamen Plinianarum caſtigationum opere, in cujus præfatione eă verba de Plinio ſcribit, eumdem Plinium crebro dicit hallucinari. Quoties in eodem opere taxat Theodorum male quædam verba Græca Latine interpretantem, quem tamen alibi omnibus præfert interpretibus, quem unum cum vetuſtate ipſa certaſſe ſibi viſum eſſe pronunciat, quem ſibi colendum atque imitandum proponit, à cujus ſcriptis ſe non parum adjutum fatetur, & prædicat. Ego quoque & ſi idem de Ariſtotele ſtatuam, quod & divus Hieronymus fuiſſe ipſum prodigium grande, atque miraculum in tota natura, cui pene videatur infuſum quidquid humanum ingenium naturaliter capere poteſt, tantùm tamen abeſt ut credam eum non fuiſſe hominem, ac nullo modo labi, atque errare potuiſſe, ut plures ejus ſententias (veluti de proportione elementorum,

de circulo lacteo, de iride, de numero corporum replentium locum, quæ regularia nominant) sciam posse linealibus demonstrationibus improbari, quemadmodum me ipsum contra Averroim ex Aristotelis oppositione libri tertio de cœlo sentientem, duo talia corpora replere locum pyramidem, & cubum unum tantùm esse, quod possit hoc facere cubum, videlicet mathematicis rationibus, quibus nullæ possunt esse firmiores, opere ad id dicato arbitror denarrasse.

Sed hæc obiter dicta sint contra Grammatistas, tam Latinos quam Græcos, quorum alteri Plinium, alteri Theodorum, Deos ex hominibus facere studuerunt, in quorum sententiam Plinii patronum Medicum gravem atque Philosophum miror, tam facile fuisse pro lapsum, à qua ipsum volentes dimovere, reliqua ad eamdem materiam pertinentia Plinii errata, prosequemur. Eidem enim animali struthocamelo, de quo antea disputavimus, Plinius etiam alium homini tantùm peculiarem adscribit affectum, cum quædam animalia, uti struthocamelum, naturaliter calvere refert. Aristoteles vero libro quinto de generatione animalium, solum hominem ex omnibus animalibus calvere asserit; nam generalem illam passionem qua vel volucribus pennæ, vel arboribus frondes defluunt; hoc defrondescere, illud depennescere, non autem calvescere dicitur: unde & de simili struthocameli affectu lib. 4, de partibus animalium verba faciens Aristoteles, ipsum capite, & parte colli superiore glabrum, non autem alvum esse significavit.

Quia vero calvicium est capitis vitium jam ad cerebrum, quod in capite continetur, veniamus, de quo paulo infra Plinius scribit in hunc modum: Cerebrum habent omnia animalia, quæ sanguinem, æque & in mari quæ mollia appellavimus, ut polypi. Aristoteles vero, de quo hanc omnem de partibus animalium historiam (licet non satis fideliter aliquando) Plinius transtulit, non cerebrum, sed aliquid proportionale cerebro, polypo, & reliquis carentibus sanguine, tribuit. Hæc enim sunt ejusdem Auctoris libro de partibus animalium secundo, verba: Cum autem omnia

contrarium momentum requirant, quo contrarietatem ac medium assequuntur (in hoc enim essentia ratioque consistit, non in alterutro extremo seorsum posito); idcirco adversus cordis sedem & calorem, cerebrum Natura molita est, & propterea pars ista animalibus juncta est, naturam obtinens aquæ ac terræ communem, atque ob eam rem cerebrum omnia prædita sanguine habent, ex cæteris nullum ferè, nisi per proportionem, ut polypus; parum enim caloris obtinet omne id genus propter sanguinis privationem: cerebrum igitur calorem, fervoremque cordis moderatur, ac temperiem.

Ex his Aristotelis verbis facile constat mollia, ut polypos, qui in mari sunt, quoniam careant sanguine, atque ideo fervore cordis, non habere cerebrum. Alioquin supervacuum aliquod in ipsis Natura molita esset, quod ab omnibus Philosophantibus putatur absurdum. Plurimum autem refert dicere alicui exanguium inesse cerebrum, vel aliquid proportionale, sicuti piscibus ossa, vel spinas, quæ auctore Aristotele ossibus proportionantur, unde & Plinius ipse hoc eodem capite inferius ait delphinos habere ossa, non spinas, & causam subinfert quoniam animal pariunt; quasi necesse sit omnia quæ animal pariunt constare ossibus. Atqui multi pisces cartilaginei generis, ut etiam Plinius ipse libro nono una cum Aristotele sentit, animal pariunt, & tamen ossibus carent; ut paulo post in hoc ipso capite Plinius subjungit vitulos marinos habere cartilaginem, non ossa, quos tamen constat æque atque delphinos animal generare. Quanquam vero eamdem etiam causam (quam Plinius) Aristoteles afferat libro secundo de partibus animalium, cur delphini non spinis sed ossibus constent, quia videlicet sunt de genere viviparorum; statim tamen subjungit rationem, cur cartilaginea nomine spinam ex cartilagine habent, quia videlicet motum eorum molliorem esse convenit; itaque fulcimenti genus, non rigidum, sed molle esse oportuerit; quam etiam rationem oportuit afferre Plinium, ne videretur sibi ipsi sine ulla excusatione contradicere, ut plane etiam libro octavo contradicit, ubi scribit ex pilo carentibus delphinos tantùm, ac viperas

viperas animal generare, & tamen cartilaginei generis pifces qui & ipfi pilis non integuntur. Illud facere Plinius æque atque Ariftoteles (ut nuper diximus) arbitratur.

Sed ne à propofito ordine difcedamus, redeamus ad cerebrum, quo quæ carent animalia, creduntur à Plinio non dormire; multa tamen funt, ut fcribit Ariftoteles, libro de partibus animalium, quæ non habent cerebrum, & nihilominus dormiunt, quia proportionale fuppetit. Idem Plinius doceri ab eruditis, inquit, cerebrum aliud effe quam medullam, quoniam coquendo durefcit. Ariftoteles vero eruditiffimorum eruditiffimus, hac ratione utitur ad probandum cerebri naturam effe aquæ ac terræ communem, ex quo demum quifpiam probaverit differre cerebrum à medulla, cujus natura fit ignis aerifque communis, quod ejus pinguedo atque axungia indicant. Venam etiam ab oculis pertingere ad cerebrum, à peritiffimis tradi Auctoribus Plinius inquit, quod non eft à vero alienum, cum partim nervi qui vim fentiendi oculis invehunt, partim venæ quæ alimentum afferunt ad eofdem petveniant. Quod vero etiam Plinius ait credere fe ad ftomachum pariter venam ab oculis derivare, argumento quod nulli eruatur oculus fine ftomachi redundatione, hoc eum potius qui eft inter utrumque membrum, cum cerebro per nervos ab eodem cerebro prodeuntes, patiendi confenfum, quem Græci uno vocabulo *fympathiam* vocant, quam aliud quicquam teftificatur.

Quia vero de oculorum ftruthocameli palpebris antea fecimus mentionem, jam feries propofita exigit, ut reliqua circa eamdem particulam Plinii errata aperiamus; atque ut hæc omnia liquidius appareant, quid per palpebras, quidve per genas Plinius intelligat, non ex alterius, quam ipfius Plinii verbis, quæ tum hoc in loco, tum etiam alibi leguntur, declaremus. Genas vocat Plinius membranulas illas quæ integunt oculos, quas Græci βλέφαρα nominant. Theodorus in tranflatione Ariftotelis de animalibus palpebras vertit : talem ejus vocabuli apud Plinium fignificatum indicant illa Plinii verba, hoc ipfo in loco fcripta : Pifces & in-

secta non habent genas, nec integunt oculos, omnibus membrana vitri modo perlucida obtenditur. Libro etiam decimo, ubi de somno aquatilium differit, scribit in hunc modum: Etiam qui de cæteris dubitant, dormitare tamen existimant; non oculorum argumento, quia non habent genas. Palpebras autem Plinius appellat pilos de genarum extremitatibus ortos, quos, ut ipse inquit, ceu vallum quoddam visûs, ac prominens munimentum contra occursantia animalia, aut alia fortuitò incidentia, natura hominibus dederat; mulieres autem (tanta est affectatio decoris) inficiunt. Defluere etiam palpebras venere abundantibus ait, quod dictum de nulla re alia quam de pilis quos diximus, recte intelligi potest. Has Aristoteles in libris de partibus animalium βλεφαρίδας nominavit; Theodorus *cilia* (nescio an rectè) Latine dixit, Plinius quidem homo Latinissimus nomen cilium in alio accipit significato. Occurret mihi hoc in loco aliquis ac dubitabit, stante eorum verborum, quæ modo exposuimus, significatione, quo pacto Plinius à crassissimo errore possit defendi, qui in hoc libro undecimo, capite quadragesimo quarto, de simiarum generibus loquitur, in hunc modum: Jam simiarum genera perfectam hominis similationem continent, facie, naribus, auribus, palpebris, quæ solæ quadrupedum & inferiorem habent genam. Nonne hoc in propatulo falsum, & nullo modo, sicuti de struthocamelorum palpebris, in dubium revocandum, solas simias inter quadrupedes habere inferiorem genam, cum omnes quadrupedes æque ac simiæ inferiore gena oculos integant? nam & Plinius ipse in hoc, quem nunc examinamus loco, etiam quadrupedes quæ ova pariunt, ut testudines & crocodilos, inferiore gena connivere asseverat.

Hunc atque alios Plinii locos in quibus ipse sibi ipsi videtur manifestissime repugnare, voluissem fuisse à Plinii patrono castigatos, ne post tot tantorumque virorum in emendandis Plinii codicibus diligentiam, ipse idem opus denuo facere aggressus, aut Minervæ statuam reformare, ut mutaret soleas, aut Apellis picturam de integro pingere, ut una pauciores crepidarum suppleret

anfas, frustra videretur laborasse. Sed quo ipse Plinium civem suum, quantumvis in clientelam receptum, officio defraudavit; ego factus pro accusatore patronus, tum hoc in loco, tum etiam in reliquis in quibus potuero, bonæ famam existimationis Plinio tueri, haud quaquam gravabor impartiri, ut omnes intelligant me in aliis, in quibus Plinium reprehendi, non calumniandi gratia id egisse, sed studio propugnandæ veritatis, quam ut Philosophum decet, puto etiam amicis in honore præferendam. Si ergo nolumus Plinium, vel sibi ipsi, vel etiam sensui repugnantia scribere, oportet verba illa de simiarum generibus ita corrigere: Nam simiarum genera perfectam hominis similationem continent, facie, naribus, auribus, palpebris, quas solæ quadrupedum in inferiore habent gena. Simiæ enim, ut etiam testatur Aristoteles, libro de historia animalium secundo, cum cæteræ quadrupedes inferioribus careant palpebris, vel, ut Theodorus transtulit, ciliis (quoniam per palpebras Plinius pilos intelligit illos, ut diximus, qui de genarum extremis oriuntur), ipsæ habent etiam in gena inferiore.

Ego vero qui libenter quamcumque arripio occasionem, Plinium à contradictionibus vendicandi, admoneor alteram similem à verbis Plinii, vel potius codicis amovere contradictionem; semper enim fui ita animatus, ut libentius in codicem quam in ipsum Auctorem, si modo possim, errores rejiciam. Durissimum dorso tergus, ventres molles, setarum nullum tegumentum, de elephantis scribit Plinius libro 8, Aristoteli sane consentiens, qui libro de historia animalium secundo, elephantum in quadrupedum genere minime hirtum, & libro de generatione animalium quinto, elephantos atque boves tenuiore pilo quam sues integi scribit; postmodum libro undecimo, capite trigesimo nono, de eisdem elephantis, hæc verba apud Plinium leguntur: Elephantorum quoque tergora impenetrabiles setas habent. Ne igitur, & hîc Plinius, & à se ipso, & ab Aristotele, atque ipsa veritate discrepet, ita castiganda sunt hæc postrema codicis verba: Elephanti quoque tergora impenetrabilia sagittis habent; nam si ele-

phanti duriſſimum tergus habent, ut ſcribit libro octavo Plinius, curnon etiam idem ſit ſagittis impenetrabile, hoc eſt cum difficultate penetrabile? Hanc Plinii ab Ariſtotele, atque à ſe ipſo diſcidentiam, etiam Hermolaus animadvertit, & conatus eſt è medio tollere, unum interponendo verbum, atque ita legendo; Impenetrabiles quaſi ſetas habent. Multo licentius Plinii patronus ex uno verbo duo fecit, hoc eſt loco *ſetas*, ſcripſit pro ſcutis, ita ut verbum aliud ſupplere ſit neceſſarium, ſi ſenſus debeat eſſe integer, ſic legendo totum: Elephantorum tergora pro ſcutis homines habent. Sed probandum erit ex hiſtoriis, homines non ſolum ad geſtanda propugnacula, aliquando uſos fuiſſe in prælijs elephantis, ſed etiam eorum tergora habuiſſe pro ſcutis; alioquin, ut opinor, nemo tam violentam admittet emendationem. Sed ad genas & palpebras animalium redeamus, in quibus optarem æque facile Plinium poſſe defendi, ne & Ariſtoteli, & ſenſui quoque contraria ſcribere videretur; nam quod ait nulli ineſſe palpebras, niſi quibus, & in reliquo corpore pili, ſed quadrupedi in ſuperioribus tantum genæ, vel (ut legendum puto) in ſuperiori tantum genâ; hoc ſecundum dictum veritatem ſortietur, ſi ſimiæ tantum excipiantur, quæ ſolæ quadrupedum, ut poſtmodum etiam Plinius docet, palpebras habent etiam in inferiore genâ. Quæ verò verbis ſtatim antea ſcriptis Plinius ſubjungit, nullum habent exceptionis, aut alterius excuſationis ſuffugium; ait enim volucribus in inferiori tantum genâ palpebras eſſe, & quibus molle tergus, ut ſerpentibus & quadrupedibus quæ ova pariunt, ut lacertæ, ſtruthocamelo vero utrinque, ut homini: quæ omnia falſa eſſe, tum ſenſus, tum ratio deprehendit: nam neque volucres pilos habent in gena inferiore, neque ſerpentes, neque lacertæ, neque etiam ſtruthocamelus effectu dignam in utraque, ſed uti quadrupedes, quod etiam antea notavimus in gena tantum ſuperiore.

Æque falſa ſunt reliqua omnia quæ Plinius adnectit, ne genæ quidem omnibus, ideo neque nictatio his quæ animal pariunt; verius enim de his ita ſcripſiſſet quemadmodum ſecundo libro

de generatione animalium Ariſtoteles. Genus hominum, avium, quadrupedum, tam viviparum, quam ovipatum, oculos viſus gratia cuſtodiendi regunt, ſed varie. Quæ enim animal pariunt, geminam habent genam, & connivere utraque ſolent, aves tam leviores quam graviores, & quadrupedes ovipatæ gena inferiore connivent, nictantur aves ab angulis, membrana obeunte. Hîc autem Lectorem admonitum velim verbum βλέφαρον, quod Theodorus palpebram vertit, me ad Plinii imitationem genam interpretari. Quod ſiquis iſta verba Plinii, quæ animal generant ad ſequentem referat clauſulam, ut ſit ſenſus, quæ animal generant, & graviores alitum inferiore gena connivere; neque ita Plinius erit omni ex parte veridicus, atque Ariſtoteli de eiſdem rebus conſentiens, quandoquidem Ariſtoteles, ut ex verbis ejus paulo antea recitatis apparet, voluit ea quæ animal pariunt utraque gena connivere, ſicuti graviores alitum, altera tantum, ſcilicet inferiore. Extremum ambitum genæ ſuperioris *cilium* ab antiquis vocari tradit Plinius, & vulnere aliquo diductum non coaleſcere: idem autem accidere ſcribit Ariſtoteles, non extremo tantum ambitui genæ ſuperioris, ſed toti genæ, & æque inferiori, ac ſuperiori, ſicuti buccæ atque præpucio; nam hæc quoque vulnerata non ſolideſcunt. Caninos dentes caſu aliquo amiſſos nunquam renaſci Plinius ſolus eſt Auctor; nam qui idem aſſerat apud neminem, quod meminerim, legi. Ariſtoteles ſane, ſecundo de hiſtoria animalium libro, eoſdem dentes in homine, in canibus & in cæteris etiam beſtiis mutari tradit, maxillares autem in nullo animalium; quare de his rationabilius crederetur, quam de caninis, caſu aliquo amiſſos non regenerari.

Eodem libro ſcribit Ariſtoteles, vitulum marinum habere linguam ſciſſam, Plinius autem duplicem. Utrum idem uterque dicat æſtiment eruditi. In eo certe diſſentiunt quod Plinius leporibus circa Briletum & Thatnon, & in Cherſoneſo ad Propontidem bina jocinera pro re vera aſſeverat; Ariſtoteles vero errorem eſſe putat eorum qui magnitudinem intuentes, duo eſſe jocinera credunt, quod unum ſit.

Plinius etiam non multo inferius ſcribit ei membranæ, quam Græci phrenas & diaphragma vocant, Latini ſeptum appellant (quod tamen non membrana , ſed muſculus potius quidam eſt , ut ſentit Galenus nobiliſſimus Medicus) nullam ineſſe carnem, quod falſum eſſe pariter propriæ naturæ indicat ratio, cum muſculus nihil aliud ſit niſi caro nervis intertexta. Ariſtoteles autem, ubi de hac hominis parte loquitur, libro ſcilicet de partibus animalium ſecundo, plane eam carnoſam eſſe ſignificat, ita ſcribens : Annectitur hoc ſeptum, ſive cinctus coſtis parte ſui carnoſiore validioreque , media autem membranoſiore ; ita enim ad robur, & prætentum commodius eſt, contra calorem ſe efferentem; hoc cerebri veluti ſobolem eſſe argumentum ex his quæ plerumque accidunt, ducitur; ubi enim propter vicinitatem attraxerint humorem calidum, continuo mentis ſenſum plane perturbant ; quare *phrenes* appellantur, quaſi participes prudentiæ ſint ; atqui nullatenus participes ſunt : ſed quia propinquæ ſunt his quæ vim obtinent illam, mentis mutationem operandi facultatem aperiunt. Quamobrem tenues parte ſui media ſunt non modo de neceſſitate, quod cum carnoſæ ſint parte ſui coſtis admota, carnoſiores eſſe neceſſe ſit, verum ut minus vaporis excipiant; nam ſi carne pleniore conſtarent, copiam vaporis, & haberent, & attraherent.

Ex his Ariſtotelis verbis ſeptum , ſive phrenas eſſe carnoſas , licet parte ſui media tenuiores ſint , & minus carnis habeant , unicuique patere arbitror ; ex quibus etiam verbis alter Plinii error manifeſtatur , qui huic eidem parti ait referri acceptam ſubtilitatem mentis, hancque eſſe cauſam cur nulla inſit caro, cum tamen Ariſtoteles ipſam afferat nullius eſſe rationis participem , phrenas tamen à Græcis nominari , quoniam vicina ſit his quæ vim obtinent illam. Cordi igitur ſecundum Ariſtotelem accepta refertur ſubtilitas mentis , ob vicinum vero ſitum ſepto , atque huic ipſi nomine tantùm, quoniam à Græcis phrenes nominantur. Illud quoque hac in parte Lectores admonendos cenſeo, in verbis nuper adductis nihil eſſe de Theodori tranſlatione

immutatum, nisi quod verbum illud ὑμενωδέστερον, apud Aristotelem, nos membranosius Latine diximus, hoc est naturæ membranæ proximius. Fidelior autem nobis hæc visa est interpretatio, ne si phrenas parte media constare membrana exiliore dixissemus, quemadmodum transtulit Theodotus, Aristotelem sibi aperte contradicentem faceremus, qui totas phrenas probat ex necessitate esse carnosas: quod etiam ex sectionibus patet, licet parte sui costis admota sint carnosiores; ac paulo post, ubi omnia viscera membranis includi scribit, talem esse docet membranarum naturam, ut carne penitus vacent. Hæc autem contradictio amovetur, si phrenas, qua carnosiores, qua vero membranosiores esse concesserimus, cum hæc sit omnium natura musculorum, ut non sint æque omni in parte carnosi, sed alicubi tenuiores, ac membranæ similiores, alicubi carnosiores. Non parum autem refert dicere aliquam nostri corporis partem esse membranam, aut membranæ similitudinem habere. Phrenes igitur non sunt membrana, ut minus rectè eas nominat Plinius, sed membranæ quadam sua particula assimilantur.

Præcordiis sub est venter, inquit Plinius, stomachum habentibus, cætetis, simplex; ruminantibus; geminus; sanguine carentibus, nullus: intestinum enim quibusdàm ab ore incipiens, quadam via eodem reflectitur, ut sæpiæ & polypo. E diverso Aristoteles, non geminum, sed quaternum potius ventrem ruminantibus tribuit, quemadmodum ex ejus verbis, & secundo de Historia Animalium, & tertio de partibus, scriptis apparet. Quæ vitandæ prolixitatis gratiâ, sicuti multa alia ejusdem Auctoris testimonia, adducere supersedeo, liberum unicuique relinquens suo singula loco legenda perquirere. Quod autem Plinius pariter scribit, nullum exanguibus esse ventrem, in hoc etiam ab Aristotele discrepat, qui libro allato de aquatilibus sanguine carentibus differens, partes ad victum pertinentes, in quorum numero venter est, necessario inesse omnes eisdem aquatilibus asserit, immo de polypo ac sæpia, quorum exempla in exanguibus ventre carentibus Plinius affert, eodem in loco ita scribit: Stomachus, sive gula,

ab ore prælonga mollibus eſt, quam ingluvies excipit, quomodo avibus, cum ventre conjungitur, & inteſtinum ventri annexum ſimplex uſque ad exitum tendit. Sed hîc quidem Plinius deerravit, quoniam ventrem omnium aquatilium generi neceſſarium à natura tributum, ipſe detraxit; elephanto autem plures quam vel Ariſtoteles, vel eadem omnium parens natura conceſſit; ſiquidem quatuor elephanto ventres tradit Plinius, Ariſtoteles vero inteſtinum ita ſinuoſum eſſe elephantis ſcribit, ut ventres habere quatuor videantur. Quare cum nom parum interſit, an aliquid ſit, an eſſe videatur, eodem errore Plinius ventres in elephantis, quo etiam jocinera in leporibus, multiplicavit. Ex medio utriuſque renis exire pinguedinem, præterquam in vitulo marino auctor eſt Plinius; Ariſtoteles vero renes totos pingui opertos deſcribit, nec pinguetudinem, ſed cavum quoddam è medio utriuſque renis prodire ait, vitulum marinum etiam ipſe, ut Plinius, excipiens.

Duplicem viperæ vulvam, atque intra ſe generantibus, tribuit Plinius, quaſi vipera non ſit de numero eorum animalium quæ extra ſe animal generant; quod genus erroris etiam Plinius admiſit libro vigeſimo primo, ubi de lappa ſcribit, in hunc modum: Notabile & in lappa quæ adhæreſcit, quoniam in ipſa flos naſcitur non evidens, ſed intus occultus, & intra ſe germinat veluti animalia quæ intra ſe pariunt. Quid enim ſibi volunt hæc Plinii verba, cum de piſcibus ac viperis, de quibus etiam ſcribit Theophraſtus, loquatur, quæ tamen non intra ſe, ſed extra magis, animal pariunt? Quare de his ipſis multo ſanè rectius Theophraſtus, libro ſeptimo de Hiſtoria Plantarum, ubi de aparine facit mentionem, ita diſſeruit: Notabile & in aparine (ſic enim Theophraſtus Græce nominat herbam, quam ut antea notavi, non puto rectè à Plinio lappam nominari) quæ ſuæ aſperitatis cauſa veſtibus adhæreſcit, ut difficile auferri poſſit. Naſcitur enim flos in eo ipſo hirſuto atque aſpero, non exiens, neque evidens, ſed intus matureſcens, & ſemen pariens, ut illi ſimile ſit, quod in muſtellini generis piſcibus ac viperis evenit; illæ enim intra ſe ova pariunt, mox animalia gignunt. Sed quid Plinium aliorum auctoritate

auctoritate refello ? Cum ipse suis, quæ alibi scribit verbis, possit retundi, veluti his quæ libro decimo, capite de conceptu viperæ ac partu, in hunc modum scribit : Terrestrium eadem sola intra se parit ova unius coloris, at mollia, ut pisces ; tertia die intra uterum catulos excludit, deinde singulos singulis diebus parit viginti fere numero. Hæc autem omnia de vipera Plinius ex sexto libro Aristotelis de generatione animalium, sed parum fideliter, accipit ; nam quod Plinius dicit viperam excludere catulos, hoc vere & Aristoteli consone, qui vult solam viperam ex omni serpentum genere animal parere. Quod autem tertia die dicit hoc facere, non convenit cum Aristotele, qui tempus hoc triduanum non catulis extra uterum tribuit excludendis, sed potius postquam membranis obvoluti fuêre exclusi, earumdem membranarum disruptioni dat ; ut verior translatio ostendit Theodori, quæ ita se habet : Vipera è serpentibus una animal edit, cum intra se ova primum pepererit, ovum hoc unius coloris & molle, ut piscium fœtus, superne consistit, nec cortice continetur, ut nec piscium quidem, parit catulos obvolutos membranis, quæ tertia die rumpantur ; evenit interdum, ut qui in utero adhuc sunt abrosis membranis prærumpant. Et hæc quidem omnia rectè Theodorus, & ex sententia Aristotelis ; reliqua vero non rectè, sed cum Plinio aberrans male Aristotelis sensum interpretatur, cum de viperâ subjicit : Singulos diebus singulis parit plures quam viginti numero. Postrema enim hæc verba, tum apud Plinium, tum apud Aristotelem ita interpretatum, primis repugnant, atque ex his, non modo Plinius, sed etiam Aristoteles trahitur in contradictionem, quæ talis est : Si sola vipera è serpentibus animal edit, cum intra se primum peperit ova (ut ait Aristoteles), vel si sola terrestrium intra se parit ova, & postea catulos excludit, ut Plinius inquit : marassus autem, sive serpens, qui alio nomine vulgo scurzio nominatur, hoc idem facit ; primum scilicet intra uterum parit ova, deinde animal extra emittit in lucem, ut mille millies suis se vidisse oculis testatur ; sequitur necessario marassum, & viperam esse eamdem serpentis speciem, variis nomi-

nibus lingua vulgari apud varias gentes nominatum. Et hoc prima tam Aristotelis quam Plinii verba demonstrant ; postrema autem contrarium probant, hoc modo : Vipera parit catulos singulos singulis diebus viginti ferè numero ; marassus autem parit catulos, vel plures quam viginti, sed non singulos singulis diebus, immò omnes uno die, ut sæpius visum est : ergo vipera, atque marassus non est eadem serpentis species. Syllogismus in secunda figura nectitur.

Studeat autem Plinii patronus, ut tam facile Plinium ab hac contradictione tueatur, quam facile nos Principem Philosophorum hujus gravissimi erroris suspicione liberavimus. Studeant pariter Græci Grammatistæ, ut servata Historiæ Animalium veritate, Theodori Gazæ translationem defendant, sicuti nos verba ipsa Græca Aristotelis aliter interpretantes omnem sustulimus è medio contradictionem; sed hoc alio fecimus loco. Nunc ad alterum Plinii errorem in verbis eisdem refellendum revertamur. Neque enim vipera duplicem vulvam habet, immò unam tantùm, cujus, sicuti in cæteris quæ intus quidem ova, extra autem animal pariunt, ea pars quâ ova continentur, infra lumbis adjungitur, & supra intestini ostium continetur, quemadmodum, tum in libris de partibus, tum etiam de generatione animalium multis aliis in locis, testis est locupletissimus Aristoteles. Quod si pro *duplicem* vulvam *bifidam*, seu *bipartitam* Plinius insinuat, non erit hoc viperarum, & similis naturæ animalium peculiare, immo aliarum omnium quæ tam intra, quam extra animal generant, quod etiam de bobus & mulieribus hoc eodem loco Plinius affirmat; nam has quidem ait geminos sinus ab utroque laterum habere, boves vero gravidas in dextro tantùm sinu ferre, etiam cum geminos ferant.

Male etiam & contra quam Aristoteles inter sevum & adipem notat Plinius differentiam; concretum enim hunc scribit, & cum refrixit fragilem, semperque in fine carnis. Hæc autem de sevo, non de adipe, & tertio de Historia Animalium, & secundo de partibus, scribit Aristoteles : Cunctis quoque animalibus quod-

dam in oculis pingue esse Plinius inquit, neque ea excipit quæ cum præduros habeant oculos, pingui omnino in ipsis vacant. Rectius autem Aristoteles, libro de Historia Animalium tertio, de eadem re loquitur, in hunc modum : Omnium vero animalium commune pupillæ institutio est; omnibus enim quæ partem hanc possident, nec duris oculis sunt, adipe constat.

Serpentibus Plinius spinas tribuit; Aristoteles, lib. 2, de partibus animalium eisdem serpentibus, non spinas, sed naturam ossium spinaceam esse refert, sicuti idem Aristoteles vitulum marinum, non cartilagine, ut Plinius, sed cartilaginosis ossibus constare tradit. Plinius pariter inquit sine nervis esse quædam animalia, ut pisces; sed cum omne piscium genus sanguinis particeps sit, ut auctor est Aristoteles, libro de Historia Animalium secundo, quibus autem datus sit sanguis, eisdem nervos adjunctos esse, idem Aristoteles, libro de Historia Animalium tertio, itidem scribat; pisces etiam in sanguineo genere habere nervos est necessarium. Cur arteriæ careant sensu, causam affert Plinius, quoniam etiam sanguine vacant, quasi sanguis, non autem nervus, vel caro, sint virtutis tactoriæ instrumentum. Sed neque verum est arterias carere sensu, sicuti neque venas, neque etiam sanguine omnino vacant, quemadmodum Galenus omnium Princeps Medicorum opere ad id dedicato contra Erasistratum demonstravit. Quod si in venis tantùm sanguinem contineri Plinius existimavit, quod etiam videtur sentire Aristoteles, libro de Historia Animalium tertio, qui forte venarum vocabulo arterias quoque comprehendit, juxta Hippocratis vetustissimi Medici conconsuetudinem, cur paulo post Plinius aves nec venas, nec arterias habere dixit, cum nemini dubium sit aves inter sanguine prædita, non autem exanguia animalia, computari ? Quare cum sanguis secundum Aristotelem, libro allato, nulla alia conceptacula habeat præter cor & venas, si aves sanguinem habeant, ut visus ostendit, cum sine vena sanguis esse non possit, aves venas etiam habebunt necessario.

Hi sunt, partim codicis ipsius Auctoris errores, quos ex uno

unius libri capite tantum colligendos censuimus, ut Plinii patronum admoneremus frustra se apud suos cives fuisse gloriatum, tanquam Plinio ex unius loci sola adversus nos defensione, ab omni errorum suspicione liberato; atque insuper ipsum docere-mus plura alia superesse in codice menda corrigenda, nec pauciora ipsius Auctoris errata defendenda, in quibus tamen (siquis sit eorum, quæ hic aguntur, inferis sensus) Plinius mallit forte non defendi, quam ita, sicuti in æra, defendi, in qua merito conqueri potest se multo infelicius, quam sit lolium ipsum habuisse patrocinium. Primus enim Hermolaus hunc Plinii errorem tali est ratione deprecatus, quod cum nondum satis esset in Italia compertum lolium circumligando se triticum enecare, Plinius tutius putavit uti vocabulo Græco quam Latino. Nos in nostra super hoc ad Hermolaum epistola, talem pro Plinio defensionem ita repulimus, non magis Græcos novisse *æram* quam Latinos, lolium esse herbam amplexicaulem, cum sit ubique terrarum recticaulis. Quare sive Græco, sive Latino Plinius uteretur vocabulo, nullo modo potuisse dicere æram vel lolium circumligando se triticum enecare.

Post Hermolaum quidam leguleius, spreta & Græcorum, & Latinorum interpretum auctoritate, ausus est dicere æram non significare apud Græcos lolium, sed herbam aliam quam nos vulgo *volutulam* nominamus. Tertius iste, contra quem nunc disputamus, Plinii patronus *æram* mutavit in herbam quam melius fuerat non movisse; nam adeo gravem jactavit odorem, ut anagyros videri possit, quam Græcorum proverbium jubet non moveri, ne mota pejus oleat.

Sed postquam satis de Plinii erroribus egimus, jam ad Plinii patronum, qui nobis dedit Plinium taxandi occasionem, simul & ipsum refellendum revertamur; nam præter contradictionis errorem, quem capite octavo, libri tertii suæ anatomices ipsum admisisse antea ostendimus, etiam in pluribus aliis delinquit. Primumque tracheam arteriam dicit à Græcis nominari pharynga, quod falsum est si hoc vocabulum in propria significatione su-

mamus; nam ut teſtatur Galenus in commentatione illius aphoriſmi quartæ particulæ aphoriſimorum, ſi à febre habito, tumore non exiſtente in pharynge, id eſt faucibus (ſic enim etiam Theodorus hoc verbum vertit) caput arteriæ, à Græcis larynx, id eſt guttur, appellatur. Nam & Theodotus ita larynga Latine nominat guttur: ſpatium autem illud, quod eſt ante larynga, & iſophagum, id eſt guttur & gulam, pharynx ptopriè ab eiſdem Græcis nominatur. In quo ſignificato dicit etiam Galenus hoc nomen ab Homero accipi, ubi idem Hometus ait vinum & fruſta carnis humanæ per pharynga cyclopis erumpere. Caveat ergo Plinii patronus, ne quam damnat Platonis opinionem, volentis potum per tracheam arteriam ad pulmonem defluere, multo faciat in Hometo abſurdiorem, ſi voluiſſet non modo potum, ſed etiam cibum evomi à cyclope per pharynga, id eſt tracheam arteriam; ut eam Plinii patronus vult à Græcis nominari. Galenus etiam libro quarto de membris paſſis, qui de interioribus apud Latinos inſcribitur, quid per pharynga intelligat, declarat his verbis: Pharynga autem nomino interius oris ſpatium, ad quod pertingit extremum gulæ ac gutturis; neque aliud per pharynga Galenus intelligit, cum dicit, libro ſeptimo de utilitate partium, tracheam arteriam per larynga pharyngi copulari, quanquam poſtea idem Galenus, circa initia libri octavi ejuſdem tractationis, ſcribat ttacheam atteriam pharynga æquivoce illi quæ eſt ante larynga nominari. Sed nos hîc de proprio & uſitato pharyngos ſignificato diſputamus; nam Galenus quoque, alio in loco ſcilicet tertio libro prognoſticorum, exponens verba Hippocratis, quæ in Græco codice, ita ſe habent: *Αἱ δὲ κυνάγχαι δεινόταται μὲν εἰσὶν καὶ τάχιστα ἀποκτείνουσιν ὁκόσαι μήτε ἐν τῷ φάρυγγι μὴ δ' ἐνέκδηλον ποιέουσιν μήτ' ἐν τῷ αὐχένι* (hoc eſt, ſi Latine dicere libeat: Anginæ autem graviſſimæ ſunt, & ciriſſime perimunt quæcumque, neque in pharynge, id eſt faucibus, neque in cervice, aliquid manifeſtum faciunt), Galenus, inquam, verbum Græcum *pharyngi*, quid hoc in loco ſignificet, ita declarat: Pet cervicem collum intelligitur, per pharynga autem ſpatium illud quod ſe oculis re-

præsentat, si ore aperto lingua prematur, in quo duo orificia continentur, alterum stomachi, alterum laryngis; hoc est, si Latine loqui volumus, alterum gulæ, alterum gutturis. Sic enim hæc verba Theodorus, vir Græce ac Latine doctissimus, ubique in suis translationibus interpretatur, sicuti & verbum Græcum pharynga dicit Latine fauces, quamvis Plinius summum gulæ fauces vocari dicat, postremum stomachum; nos vero pharynga à Græcis non summum gulæ, sed locum ad quem, tam summum tracheæ, quam etiam isophagi pervenit, dicimus auctore Galeno nuncupari.

Movet autem me hic locus (qui soleo libentius contra homines Barbaros, quam Latinos agere, præsertim viventes, & mihi amicos, quos non taxarem, nisi ipsi prius rupto amicitiæ fœdere me carpere anticipassent), ut Avicenna, vel saltem ejus expositorum errorem patefaciam, qui de his humani corporis partibus, de quibus nunc disputamus, in suis libris aut commentationibus scribentes, visi sunt ab Hippocrate atque Galeno discordare. Avicenna siquidem, tertio sui canonis libri fen, nono capite, id est de dispositionibus gutturis, hæc verba scribit: Per guttur intelligimus spatium in quo sunt meatus anhelitus & cibi. In quibus verbis mihi videtur Avicenna idem quod Galenus voluisse dicere, cum lib. 4 de interioribus scribit: Pharynga autem nomino interius oris spatium ad quod pertingit extremum gulæ ac gutturis. Solent enim Arabicæ translationes pro verbo *pharynga* apud Græcos Auctores, guttur Latinum habere, ut sane habet translatio Arabica, libro prognosticorum, loco à nobis superius allegato, ubi Hippocrates pharynga nominat, quamvis si proprie loqui velimus verbum *guttur*, non pharyngi, sed laryngi, id est parti extremæ os versus tracheæ arteriæ, quæ pars extrema ad pharynga terminatur, rectius accommodetur. Sed omissa proprietate locutionis, quoniam disputatio de nominibus parvam habet utilitatem, sive pharynx guttur, sive fauces Latine dicatur, certum est spatium illud quod Græci pharynga nominant, non continere utrumque meatum anhelitus & cibi, si per meatum anhelitus totam tracheam arteriam intelligamus, per meatum autem

cibi, totum *meri*. Liceat enim mihi Barbaros volenti refellere, his uti vocabulis, quibus ipsi in suis libris utuntur, ne si aliter quam ipsi fuero locutus, videar ipsos non in re illa, de qua ipsi loquuntur, sed in alia potius per calumniam reprehendisse. Vitanda est enim mihi omnino hujus culpæ suspicio, tum in omni opere, tum præcipue in hoc, in quo me adversus Plinii patronum defendo, qui me tanquam parum pudentet Plinium calumniantem in sua accusat præfatione. Sic autem etiam visus est & ipse Avicenna intelligere, qui eodem capite remittit nos ad anatomiam epiglotti & *meri*, quam se alibi docuisse innuit. Manifestissime autem quidam ex recentioribus qui nuper haberi cœpit in prætio in expositionem hujus loci Avicennæ, ita scribit: In prima parte primo ait quod guttur est spatium, seu pars corporis quæ protenditur inferius à radice menti ad ossa furculæ, & in se continet meatum anhelitus, quem cannam pulmonis, arteriam vocalem, & tracheam arteriam vocare solemus, & meatum cibi quem Medici appellant *meri*, & isophagum, & uvam sive vulam, quæ coperit epiglottum, & duas amygdalas, quæ sunt duæ parvæ auriculæ in radice linguæ, & *galsamat*. Hæ omnes quas tanquam gutturis partes expositor iste connumerat, aliquæ ad collum pertinent, aliquæ ad os. Trachea quidem arteria, sive canna pulmonis, & isophagus, sive meri, ad collum; uva autem, sive vula, & duæ amygdalæ, ad os & (ut arbitror) etiam galsamat, quanquam de vocabulo barbaro nolo decernere. Tracheam autem arteriam & isophagum esse colli partes, liquido ostendit Galenus, circa initia lib. 8. de utilitate partium, ubi probat collum esse factum propter tracheam arteriam; argumento piscium quod aut nullum collum habent, aut breve omnino, quia tracheâ carent arteriâ, quo in loco idem Galenus inter alias colli partes, etiam isophagum numerat. Idem pariter auctor lib. 11 de utilitate partium scribit hæc verba: Particularum itaque quæ secundum os manifestum jam factum est, quoniam neque superflua, neque defectuosa est aliqua, sed mole corporis, & consistentiis, & plasmationibus, & positionibus, universæ optime constitutæ

ſunt. Etenim ſi aliquas earum non expoſuimus, evidens eſt ex prædictis; ſufficit enim in una, vel duabus memorari particulis utilitatem uniuſcujuſque quæ eis inſunt, ſicuti & in lingua fecimus. Quæ enim de illa ſunt dicta, commenſuritatem laudantibus nobis magnitudinis, habebis utique conſiderans invenire in omnibus ſimiliter. Nulla denique earum eſt ita parva, ut deficienter miniſtret, neque in tantum excedit magnitudinem, ut comprimat aliquam aliarum, aut ab aliis anguſtetur, ſed foramina quidem naſi apud expirationem ſufficientia ſunt, columnæ vero magnitudo ad tres utilitates competentiſſima eſt, & epiglottis tam magna, & talis mole corporis quantum magna eſt claudi debens particula: ita autem & larynge, & ſtomachi portus; hic quidem in reſpirationibus & vocibus, illæ autem in ciborum tranſitibus ſufficientem habent magnitudinem: ſimiliter dentium unus quiſque, & reliqua.

Hæc omnia Galenus, juxta tranſlationem quæ in uſu habetur, laudans naturæ artificium, in partium oris convenienti formatione, inter quas, ut videre licet, & foramina naſi interiora, & columnam, id eſt uvam, & epiglottida, & laryngis, id eſt gutturis, & ſtomachi, id eſt *meri*, ſive gulæ orificium, unà cum lingua & dentibus collocat. Sic Ariſtoteles, libro primo de hiſtoria animalium, id quod intra maxillas & labra deſcribitur, os eſſe dicit. Oris vero partes, palatum, fauces, linguam, tonſillas, dentes; colli autem partes eſſe vult, arteriam anteriorem, gulam poſteriorem. Videtur autem Avicenna, ſecundum novi expoſitoris declarationem, non porrum, ſive meatum, laryngis quam recentiores abutentes vocabulo epiglottum nominant, ſed totam tracheam arteriam, non ſupremum orificium gulæ, ſive *meri*, ſed totum *meri* cum uva epiglotto & duobus amygdalis, tanquam ſint ejuſdem membri partes, quod guttur appellatur, conjungere; quas tamen Galenus, ſeparavit, & diverſis membris, alteras ſcilicet collo, ut tracheam arteriam & iſophagum, alteras vero ſicuti orificia gutturis & gulæ ſimul, ac præterea columnellam, quam recentiores uvam appellant, ori contribuit; nam quod

columnellam,

five uvam Galenus velit esse partem oris, & non colli vel gutturis, indicant verba ejus libro 1 de differentiis morborum, in quibus ostendit uvam abcissam esse palati, & non colli vel gutturis passionem. Hoc vero in loco Plinii patronum admonitum velim se non recte in sua anatomice columelam vocare eam palati partem, quam Græci chiônida vocant, id est parvam columnam, cujus effigiem repræsentat; debuit enim non *columelam*, sed *columnellam* eadem ratione dicere. Nos tamen non multum de nominibus laboramus, nisi quod hominem, non magis rerum quam etiam nominum in eo tractatu scientiam profitentem, vellemus fuisse, plus quam Barbari soleant etiam in nominibus diligentem. Non est autem dignum admiratione si corpora quidem, & tracheæ arteriæ, & isophagi sive meri, collo Galenus demandavit, orificia autem, sive porum eorum ori, quoniam hæc duo (ut ait in commentatione libri prognosticorum superius allegata) in faucibus continentur. Fauces autem licet sint in confinio oris & colli, ad os tamen magis videntur, quemadmodum & palatum, pertinere.

Quare si velimus Galenum, atque Avicennam ejus interpretem, concordes facere, aut saltem minus discordes, debemus illud, quod supra diximus posthabitis barbaris positionibus, dicere: Avicennam per guttur pharynga, id est fauces, intellexisse, hoc est (ut ipse declarat) spatium illud in quo sunt meatus anhelitus & cibi, id est orificia ipsa tracheæ arteriæ atque meri, non tota corpora quæ ad collum, ut diximus, & non ad fauces attinent. Hanc autem nostram expositionem confirmant verba Avicennæ, si diligentius considerentur, paulo post priora subjuncta: Et tu jam scivisti anatomiam meri, & anatomiam epiglotti. Neque enim dixit anatomiam tracheæ arteriæ, sed epiglotti, id est laryngis, sive supremæ partis arteriæ, quæ ex tribus cartilaginibus constat, quam Græci larynga, Barbari epiglottum, vocabulo (ut diximus) abutentes, appellant; Latini commode guttur possunt nominare cujus laryngis, sive epiglotti meatus secundum Galenum in faucibus parte oris continetur, volens nobis per hoc Avicenna insinuare, quod per meatum spiritus, non totam tracheam arteriam,

ſed tantum laryngis, ſive epiglotti orificium intellexit; quod idem, & de ſupremo orificio meri, quod meatum cibi nominat, & non de toto meri eumdem ſenſiſſe Avicennam debemus exiſtimare. Atque ita in his duabus gutturis partibus per guttur fauces intelligendo (ut Barbari hoc verbum *guttur* accipiunt), erunt Galenus atque Avicenna concordes. In eo ſanè diſcordes, quod Galenus uvam, non in faucibus, ſed in palato locavit, ſicuti duas amygdalas, quas ille Græce pariſthmia nominat, neque ipſas in faucibus, ſed in loco admodum proximo, ſeu potius contiguo, poſuit.

Scio tamen eſſe inter Gentilem atque Mundinum de poſitu duarum amygdalarum diſcordiam, quam ad alium tractatum, in quo de Mundini erroribus in anatomice ſumus acturi, diſcutiendam reſervamus.

Sed quoniam de Gentili facta eſt mentio vetuſtiore Avicennæ expoſitore, videamus quid, & ipſe de gutturis partibus ſecundum Avicennam ſentiat, & an ipſe faciat inter Galenum ac Avicennam ſua expoſitione concordiam, vel potius majorem eâ quæ facta eſt à novo expoſitore diſcordiam. Verba Gentilis Avicennam exponentis, ubi quid per guttur intelligat nititur declarare, ſunt hæc: Conſiderandum ſecundo quod guttur accipitur tripliciter, uno modo pro corpore aggregante epiglottum, & *meri* quod in tranſglutione movetur ſurſum & deorſum, & ſic ſumitur primo canonis, fen. prima, capitulo de anatomiâ muſculorum gutturis, ſecundo modo pro principio cannæ pulmonis præter *meri*, & ſic ſumitur à Gerardo Cremonenſe in Gloſſis, capite de ſquinantia; alio modo ſumitur pro ſpatio comprehendente illa quæcumque membra prædicta, & ſic ſumitur hîc & tertio prognoſticorum. Hæc verba poſtrema Gentilis de tertia acceptione gutturis conantur quidem Avicennam cum Hippocrate atque Galeno facere conſentientem. Quantum vero, ſi ita guttur hoc loco accipiatur, ut putat Gentilis, diſſentiat, ſatis ſupra fuit à nobis oſtenſum, cum quid per *pharynga*, pro quo habet tranſlatio Arabica *guttur*, Hippocrates intellexerit, ſecundum expoſitionem Galeni declaravimus. Quare omnia quæ diximus

contra novum Avicennæ expositorem, faciunt etiam contra vetustiorem, tanto etiam magis errantem, quanto citat locum ex tertio prognosticorum, qui est omnino ejus expositioni contrarius. Prima vero acceptio gutturis maximam dat inter Galenum atque Avicenna discordiarum aperiendarum occasionem, quoniam capite illo lib. 1 de anatomia gutturis, quod Gentilis allegat, Avicenna de gutture, æquivoce loquitur. Primum enim cum dicit guttur duo habere paria, quæ ipsum ad inferiora trahunt, per guttur tracheam intelligit arteriam. Cum vero postea in fine capitis dicit: Gutturis vero musculi sunt duo musculi gutturosi apud gulam positi, in transglutiendo adjuvantes; per *guttur* intelligit *pharynga*, id est fauces, de quibus satis supra dictum est. Hanc autem nominis *gutturis* in hoc capite apud Avicennam æquivocationem, probare possumus ex his quæ partim Galenus & in suis de anatomice libris, de quatuor musculis scribit tracheæ arteriæ, qui ipsum contrahunt angustantque, & duobus faucium; quod tam voci, quam etiam deglutioni observiunt, tum ex similibus quæ Aliabas etiam nono theoricæ dicit de lacertis moventibus jugulum, per jugulum tracheam intelligens arteriam, & de musculis moventibus gurgulionem, quod nomen apud ipsum significat fauces, ut ex multis licet conjicere, quæ Galenus de *pharynge*, ille autem de *gurgulione* loquitur.

Ut autem hæc omnia fiant evidentiora, & quî conveniant, quîve dissentiant, hi tres Auctores Galenus, Aliabas, atque Avicenna de eisdem loquentes musculis, eorum verba in medium adducemus, & primum Galeno de musculis tracheæ arteriæ, in hunc modum scribentis: Tracheæ arteriæ quatuor sunt musculi ipsam contrahentes atque angustantes quando intenduntur, & retrahentes os quod V litteræ formam habet, & laryngem. Oriuntur autem majores ex ipsis ex inferiore termino lienæ rectæ ossis *υ* psilon litteræ formam habentis, deinde secundum totius arteriæ delati longitudinem innascuntur pectori in parte interiori. Viderentur autem tibi aliquando esse bipartiti hi duo musculi; alii vero duo, à lateribus & inferioribus partibus, cartilaginis sicuti

formam habentes, exorti terminantur, & ipsi ad pectus apprehendentes arteriam.

Alio autem capite de musculis faucium, idem Galenus in hunc modum scribit : Spatium quoddam præjacet, commune gulæ ac gutturis, ad quod commune spatium utrumque orificium terminatur. Vocant autem spatium quidem ipsum isthmum, quoniam angustum est & oblongum, Corpus autem ipsum comprehendens *pharynga* nominant, id est fauces, quibus utrinque unus est musculus, qui & deglutioni & locutioni observit ; quæ etiam Galeni dicta magis confirmat frequens hujus vocabuli *pharingos*, apud Græcos (ut antea diximus) significatum, pro quo Arabicæ translationes guttur habere solent : ut etiam probatur ex Avicennæ primo canonis, capite 12 à Gentile allegato, hos duos musculos deglutioni servientes, musculos gutturis, seu gutturosos nominantis auctoritate.

Aliabas autem qui pro trachea arteria jugulum scribit, pro faucibus gurgulionem, de quatuor musculis moventibus jugulum scribit in hunc modum : Porro qui jugulum movent lacerti, quatuor sunt, incipientes à pectoralis interioribus, quorum duo ossi continuantur simili lauda Græco, & ad inferiora trahunt, & lacerti duo alii continuati quæ umboni similis est cartilagini, & etiam ad inferiora deducunt. Paucos infra versus scribit hæc verba : At gurgulionem lacerti qui movent, duo sunt, & Arabice dicti *magnage*, quorum alter à dextris est positus, alter à sinistris, fuitque eorum necessitas, quo adjuvarent *transglutionem*, & vocem. Hæc Aliabas.

Avicenna autem capite quod in sua expositione Gentilis allegat, volens guttur aliquando accipi pro corpore aggregante epiglottum & meri, ita de eisdem sex musculis scribit, quorum quatuor ad tracheam arteriam à Galeno, ad jugulum autem ab Aliabate, duo vero à Galeno ad fauces, ab Aliabate ad gurgulionem, communiter autem ad guttur ab Avicenna referuntur ; quod fecit errare in sua expositione Gentilem. Avicenna, inquam ita & ipse scribit : Guttur in summa duo habet paria quæ

ipſum ad inferiora trahunt ; unum eorum eſt par , quod jam in capitulo epiglotti nominavimus, & alterum eſt par etiam ex thorace naſcens, quod elevatur , & cum lauda continuatur primo , poſtea cum gutture, & trahit ipſum ad inferiora ; gutturis vero muſculi ſunt duo, muſculi gutturoſi qui ſunt duo muſculi apud gulam poſiti in tranſglutiendo adjuvantes. Hæc Avicenna ; par autem muſculorum, de quo dicit ſe feciſſe mentionem, in capitulo de epiglotto , eſt illud pat de quo in præcedenti capite dixit , quod ejus origo eſt interius in thorace, & vadit ad peltalem, & eſt ſecundum par apud Galenum dicentem, quod alii duo muſculi naſcuntur à lateribus & inferioribus partibus cartilaginis ſcuti formam habentis, quam cartilaginem peltalem Avicenna nominat, & dicit terminari ad pectus, licet Avicenna in hoc à Galeno diſcors, ubi eſt terminus iſtorum muſculorum, ibi originem ponat, & contra illuc tendere dicat unde oriuntur. Simili errore diſcordat etiam in ſecundo pari , quod eſt primum apud Galenum, quod Avicenna ait etiam ex thorace naſci, & relevari , & cum lauda continuari primo, poſtea cum gutture, & trahere ipſum ad inferiora, cum tamen Galenus dicat hos duos muſculos ortum habere ex inferiore termino oſſis habentis formam litteræ υ pſilon, & deinde latos ſecundum longitudinem totius tracheæ pectori innaſci; quæ Galeni verba non parum differunt à verbis Avicennæ dicentis eos elevari, & cum lauda primum continuari, poſtea cum gutture.

Nec ſolum in ortu & termino horum muſculorum Avicenna à Galeno diſcrepat, ſed etiam in utilitate, quoniam Galenus vult eos eſſe factos ad contrahendam, atque anguſtandam tracheam arteriam , Avicenna autem ad trahendam eam inferius, in quo etiam uſu, ſicuti etiam in origine & fine, licet Aliabas videatur Avicennæ adſtipulari; ego tamen in his quæ ad anatomicem attinent , majorem præſto Galeno auctori in hac parte medicinæ peritiſſimo, quam Arabibus Auctoribus, fidem; cum Averois in eadem gente auctor eximius, ingenue fateatur, hanc ipſam medicinæ partem ſuo tempore fuiſſe ignoratam , & alioquin Galeni

acerrimus æmulus, ipsa tamen cogente veritate, concedat ipsum vel Aristoteli in anatomice esse præferendum.

Sed hæc obiter dicta sunt, volentibus nobis expositionem Gentilis super prima gutturis acceptione refellere, quæ præterquam quod & Galeno & etiam Avicennæ repugnat, plures etiam alias habet difficultates. Quæri enim à Gentile posset, si guttur accipitur primo canonis, fen. prima, capite de anatomia musculorum, pro corpore aggregante epiglottum & meri, quod in transglutione movetur sursum ac deorsum; cur Avicenna eodem capite sex tantùm duorum corporum musculos enumerat; cum musculi alterius tantum scilicet epiglotti, secundum Galenum, sint ferè 20, secundum autem Avicennam decem & octo, quibus si addantur alii duo adjuvantes deglutionem, fient secundum alterutram opinionem, vel 20, vel 22. Quod si respondeat Avicennam eo capite tantùm de his musculis agere, qui movent corpus aggregans epiglottum & meri tempore deglutionis, & non alios aliis, vel meri, vel epiglotti motibus servientes, Gentilem insuper altera questione vexabimus; cur Avicenna duo tantùm paria nominat musculorum, quæ guttur trahunt ad inferiora, & non etiam totidem alia quæ ipsum trahunt ad superiora, siquidem guttur, hoc est corpus aggregans epiglottum atque meri, movetur sursum atque deorsum tempore deglutionis. Impossibile enim videtur ut duo motus contrarii per eosdem musculos fiant, cum unus quisque musculus versus proprium principium referat particulam quam movet, ut Galenus & lib. 11 de utilitate partium, & pluribus aliis edocet locis.

Vellem, ut Gentilis viveret, ut his meis quæstionibus, vel dubitationibus responderet. Sed quod mortuus non potest, Plinii patronus vivens pro Gentile respondeat, quandoquidem & ipsum similes angunt quæstiones, quod in sua anatomice epiglottidis, gutturis ac gulæ triginta duos musculos simul enumerat, nec quot epiglottidi, quot gutturi, quotve gulæ, singulis scilicet seorsum assignet, nobis insinuat. Quòd si per guttur tracheam intelligit arteriam, & superiorem ejus terminum quod Græci, & laryngem

& bronchi caput aliquando nominant, erunt ipsius quidem arteriæ musculi quatuor, ut supra monstravimus ex Galeni atque Aliabatis auctoritate; laryngis vero, secundum Galenum 20 fere numero, secundum Avicennam autem qui larynga epiglottum nominat, decem octo. Quare simul vincti erunt, vel 24, vel 22: decem ergo superetunt epiglottidi & gulæ distribuendi.

Sed Plinii patronum seorsum interrogabo, apud quem Auctorem legerit epiglottida, quàm Plinius nominat linguam minorem, habere musculos; an apud Avicennam primo canonis fen. prima capite de anatomia musculorum epiglotti? Verum Avicenna in hoc capite, sicuti & in aliis, in quibus de epiglotto facit mentionem, per epiglottum non linguam minorem intelligit, sed larynga, hoc est membrum constans ex tribus cartilaginibus, creatum (ut inquit) ut sit vocis instrumentum, quod etiam Galenus de larynge, non autem de lingua minore dicit; quod idem de broncho in gutturis suprema parte sito, ipse Plinii patronus per hæc verba innuit: Bronchus in gutturis suprema parte situs est, pelliculare membrum, musculosum, nervosum, cartilaginosumque, ut argutius sit, in quod percussus spiritus sonus, aut vox ipsa perfectius elidatur. Equidem nescio quo pacto possit se Plinii patronus à tam crasso errore defendere, nisi plane deficiat ad Barbaros, & se per epiglottida non minorem linguam, seu operculam quoddam tracheæ arteriæ, ut antea epiglottida exposuit, sed id vocis instrumentum, quod illi abutentes vocabulo epiglottum appellant, dixerit intellexisse. Sed quantumvis transfuga, neque sic nostræ objectionis laqueos effugiet; sic enim & epiglotto vocis instrumento principali 20, ut vult Galenus, musculi contribuentur, tracheæ arteriæ quatuor. Quare ex triginta duobus musculis epiglottidis, gutturis ac gulæ, restabunt octo gulæ seorsum assignandi. Gulam autem, sive (ut Græci loquuntur) isophagum, aut meri (ut Arabes) octo habere musculos, neque apud Græcos auctores, neque apud Barbaros usquam Plinii patronus quantumvis studeat, poterit reperire. Quo fit ut multis modis Plinii patronus aberret, cum etiam musculos epiglottidi attribuat, quos si rectè loqui volebat broncho debe-

bat tribuere, quamquam etiam in broncho delinquat ; nam id membrum pelliculare musculosum, nervosum, cartilaginosumque, præcipuum vocis, de quo ipse loquitur, instrumentum, non bronchus à Græcis, sed bronchi caput nominatur, quoniam, ut inquit Galenus, & ipsam arteriam bronchum nominant. Quare cum Plinii patronus scribit bronchum esse in gutturis suprema parte constitutum, nihil aliud dicit, nisi guttur constitutum esse in suprema gutturis parte, sive tracheam arteriam in suprema arteriæ parte, rem dictu ridiculam ; nam, secundum Plinii patronum, tracheam arteriam Latini proprio vocabulo guttur nominant.

Et hæc quidem privatim contra Plinii patronum, vel male musculos supputantem, vel barbaris utentem vocabulis, sint à nobis dicta. Communiter autem contra ipsum atque Gentilem, immò omnes ferè Medicos barbaros, & recentiores qui barbaram medicinam sequuntur, illud de gula, sive meri, dicere possumus ; quod etiam de epiglottide, id est minori lingua diximus, gulam, aut isophagum, aut meri (quocumque nomine, vel Græco, vel Latino, vel Barbaro vocare libeat) nullos habere musculos motui illi observientes, quo gula deorsum fertur. Larynx autem, aut epiglottus, aut guttur (hæc enim omnia nomina illi insunt membro præcipuo vocis instrumento, quod male à Plinii patrono bronchum appellari diximus, cum sit non bronchus simpliciter, sed bronchi, id est asperæ arteriæ caput) sursum movetur tempore deglutionis. Is enim motus est merè naturalis, non autem (ut Medici juniores sentiunt) ex naturali & animali compositus, quare ad eum nulli musculi sunt necessarii, sed illi tantùm quos Græci Inas, Medici recentiores villos per quos vis attractiva naturalis suum exercet opus ; & hoc est proprium Galeni dogma quod multis in locis librorum suorum de virtutibus naturalibus manifestat. Quare nusquam in suis de anatomice libris, sive aliis in quibus de varietate loquitur musculorum, ullam facit de musculis isophagi, id est gulæ, mentionem ; sed neque Avicenna ipse, primo canonis, ubi de omnibus musculis per singula membra tractat copiosius, meri musculos nominat alicubi,

sed

ſed ſolum muſculos gutturis quos dicit adjuvare deglutionem, per guttur, pharynga ſeu fauces intelligens, ut antea declaravimus. Aliabas quoque tertio Theorices de lacertis meri, nec unum facit verbum, ſed tantum de lacertis gurgulionis, hoc eſt faucium, ut etiam ſupra monſtravimus, quos dicit ſervire deglutioni. Aliud autem eſſe fauces, aliud meri, etiam ſupra docuimus, cum fauces ad os, meri autem ad collum pertinere, ex Galeni probavimus auctoritate.

Avicenna etiam fen. 13, libri tertii, capite quarto de cauſis impedientibus deglutiones, inter alias cauſas quæ ſumuntur ex ipſo meri, vel ex membris vicinis, ſi putaſſet muſculos ineſſe meri, debuit etiam illorum paralyſim, quæ poſſet accidere, connumerare. Cur enim non ita de muſculis *meri* ſicuti de muſculis epiglotti, qui aliquando abſceſſum, ſive apoſtema patiuntur, atque ita ſui vicinitate ad *meri* difficilem faciunt deglutionem, nihil fuerit Avicenna locutus, nulla alia cauſa poteſt aſſignari, niſi quod noverat epiglottum multos habere muſculos, meri autem muſculos ignorabat.

Non me tamen latet Avicennam, ſi non loco allegato, alibi tamen, aliquando *meri* muſculos nominare, atque ideo videri in his ſibi quodammodo repugnare; nam idem Avicenna primo ſui canonis libro, fen. prima, capite ultimo, doctrinæ ſextæ, aperte dicit tranſglutionem duabus compleri virtutibus, quarum una eſt attractiva naturalis, & altera attractiva voluntaria, & prima quidem ſuam complet operationem per villum qui ſecundum longitudinem protenditur, qui eſt in ore ſtomachi & iſophago, & ſecundæ completur operatio per villum lacerti tranſglutiendi. In quibus verbis videtur innuere Avicenna iſophagum, ſive *meri* ita habere villos inſtrumenta virtutis motivæ animalis, ſicuti etiam naturalis, niſi quod hoc in loco villos lacerti, non lacerti *meri*, ſed potius faucium qui adjuvant deglutionem potuit Avicenna intellexiſſe.

In eamdem ferè ſententiam, de duabus virtutibus, altera naturali, altera animali, adjuvantibus deglutionem loquitur Avicenna,

lib. 3, fen. sexta decima, tractatu primo, ubi secundam causam assignat, cur *meri* sit dilatatus, his verbis: Et secunda est causa, quod penetranti in *meri* non attribuitur ex virtutibus naturalibus, nisi virtus una, quamvis voluntas adjuvet ipsum ex parte una, & est attractiva. Adjuvat ergo aperiendo viam, & dilatando ipsam. Apertius autem circa finem ejusdem capitis Avicenna ostendit in *meri* esse lacertum, & consequi eo motum voluntarium, scribens in hunc modum: Et non movetur aliquod istorum membrorum, quæ sunt via cibi per lacertos, nisi duo extrema, scilicet caput, & est *meri*, & inferius, & est *ficteri*. In quibus tamen verbis videtur Avicenna oblitus eorum, quæ scribit fen. 16, ejusdem lib. 3, de quadam colica, per modum criseos ad paralysim intestini colon cum sensûs incolumnitate terminante; nam si talis terminatio (ut ita dixerim) per modum criseos fieri potest, ut eodem in loco concedit Avicenna, sequitur necessario, quod ex membris quæ sunt via cibi, cujusmodi sunt intestina, non solum *meri* & *ficteris*, sed etiam colon intestinum, per lacertos moveatur; alioquin non posset pati paralysim manente sensûs incolumnitate; siquidem paralysis, aut sensum offendit, aut motum, aut utrumque. Sed hunc Avicennæ errorem, & undè habuerit occasionem, nos alibi latius manifestavimus. De lacertis, etiam intrinsecis *meri*, in quibus vult Avicenna fieri tertiam speciem suffocationis apostmosæ, loquitur lib. pariter 3, fen. octava, capite tertio de suffocationibus, ex quibus omnibus locis à nobis in medium adductis probari potest Avicennam voluisse *meri* habere lacertos, atque ita moveri ipsum, non modo ex sua vi naturali, sed etiam animali, quæ per lacertos operatur; quot tamen sint isti lacerti, & in qua parte tunicæ sint, intrinseca, an extrinseca, nihil in suis libris, quod equidem sciam, scriptum reliquit, sicuti neque Aliabas qui solum de musculis loquitur gurgulionis, & voci & deglutioni servientibus, quos siquis in *meri* corpore velit collocare, sequetur non modo tracheam atteriam & ejus caput, quod Arabes epiglotton nominant, sed etiam isophagum, sive *meri*, & ejus itidem caput, sive orificium esse vocis

inſtrumentum, quod pro arteria quidem atque epiglotto omnes Medici atque Philoſophi fatentur, de meri autem & ejus orificio, quod ſolis cibis ac potibus natura fabricavit, nemo auſus eſt ſcribere.

Hunc Avicennæ errorem volentis *meri* habere muſculos intrinſecos, ex quorum tumore, ſive apoſtemate animal ſtranguletur, ſecutus eſt Jacobus Forilivienſis, in expoſitione aphoriſmi quartæ particulæ aphoriſmorum, cujus aphoriſmi initium, ſi à febre habito, tumore non exiſtente in faucibus; ubi idem Jacobus quatuor ſpecies enumerat ſquinantiæ, & tertiam numero ponit illam quæ fit in lacertis intrinſecis meri. Eſt autem error Jacobi eo in loco geminatus, quoniam non modo falsò muſculos *meri* intrinſecos nominat, qui nulli ſunt, ſed falsò etiam allegat, & Hippocratem tertio prognoſticorum, & Galenum quarto interiorum, de tali ſpecie ſquinanciæ intrinſecos meri muſculos obtinente mentionem facientem; cum tamen, neque Galenus in expoſitionibus ſuis, ſive in tertium librum prognoſticorum, ſive in aphoriſmum ante allatum, neque etiam lib. 3 interiorum, ubi & ipſe quadripartitam, ſecundum Medicos, facit anginæ diviſionem, quidquam de tali ſpecie loquantur, in qua muſculi intrinſecis iſophagi, ſive meri ſint apoſtemati (liceat enim mihi contra barbaros diſputanti, eiſdem aliquando uti, quibus illi in omni ſuo ſermone utuntur vocabulis); nam à barbaris medicinæ Auctoribus, non in nominibus, ſed in rebus magis ipſis diſſentio, & eis, non vocabulorum, ſed anatomices potius adſcribo ignorantiam, quoniam *meri* muſculos tribuunt, quos meri non habet, veluti intrinſecos. Si qui vero muſculi ſunt extrinſecus ipſum contingentes, duo in parte anteriori verſus guttur, duo in parte poſteriori verſus colli vertebras, neutrum par ſervit motibus *meri*, ſed alterum quod contingit anterius, motum præſtat cartilagini gutturis, quæ clypealis nominatur, alterum vero contingens exterius, ad colli facit flexiones, ut ex Galeni anatomicis, & lib. 7 de utilitate partium, licet perpendere. Quare relinquitur motum *meri* per ſe, & non per aliud eſſe ſolummodo naturalem, ut aperte ſentit Galenus lib. 3 de potentiis naturalibus, vel ipſum

potius præstare musculi in animalibus ministerium, quam moveri per musculos ; ut hoc quoque posse aliquos existimare lib. 1 de motibus musculorum nobis Galenus insinuavit. De virtute autem attractiva naturali, quam nos solam absque animali putamus inesse meri, seu Græce isophago velimus dicere, aut Latine gulæ, etiam Plinii patronus in sua anatomice loquitur, quem, ubi de Avicennæ aut aliorum Medicorum erroribus agitur, nolumus intactum præterire, ut illi stimulos injiciamus, non modo Plinium, sed una se atque alios Medicos qui similium à me redarguntur errorum propugnandi.

Hic igitur Plinii patronus libri sui de anatomice tertii, capite decimo septimo, de gula scribit hæc verba : Ea duplici membranâ constat, varioque villorum ordine, altera stamine per latitudinem procedente, cibum expellit, qui cum attrahitur, cædit, nec læditur. Altera vero interior deorsum trahit, villorum oblongo stamine cibum, ea vis catheltice dicitur, faucium peculiaris, qua in epulando crassam congestamque materiam per faucium angusta sarcimus. Equidem hominem laudo, qui in actu devorandi nullam aliam vim gulæ tribuit, præter naturalem, quam Græci catihelticem vocant, villorum oblongo stamine cibum trahentem. Verum alteri subjicitur notæ, quia cum alio loco sui operis, ita musculos gulæ, sicuti epiglottidi & tracheæ tribuat arteriæ, censeri potest putare Naturam aliquid fecisse frustra, gulæ scilicet musculos. Ad quem enim usum illos gulæ Natura dedit ? nisi vel ad attrahendum, vel expellendum cibum, nisi forte crediderit villos oblongos membranæ interioris, aut laros exterioris esse villos musculorum utriusque membranæ propriorum, quæ falsa fuerit existimatio, & tam Galeno quam etiam Avicennæ contraria, qui volunt eosdem villos duabus servire virtutibus naturalibus, alteri attractivæ, alteri expulsivæ nominatis.

Verba autem illa quæ postea Plinii patronus eodem in loco subjungit (in devorando enim gurtur, cujus pars gurgulio est, sursum versus gulam trahit) nescio quem sensum habeant, nisi velint illum motum significare, de quo Gentilis loquitur, cum scri-

bit: Guttur aliquando accipitur apud Avicennam pro corpore aggregante epiglottum & meri, quod in transglutione movetur sursum & deorsum. Per gurgulionem autem puto Plinii patronum intelligere partem illam supremam tracheæ arteriæ, quam Arabes epiglottum, Græci larynga nominant, præcipuum vocis instrumentum. Utrum autem hanc partem vir, qui non modo Medicus, sed etiam Latinus Medicus, in suo sermone haberi velit, & minime Barbarus, rectè gurgulionem nominaverit, nolo impresentia disputare, quoniam omnis de nominibus disputatio, ut Plato inquit, est supervacua, his præsertim quibus magnarum rerum investigatio proponitur, nisi forte quis rem parvi momenti putet scire, quomodo cibus aut potus devorentur. Ego contra merito puto illos esse deridendos, qui cum hæc nesciant, id est se ipsos ignorent, sperant se altiora posse pervestigare, quæ humanis sensibus patere nequeunt.

Hic tamen quem dixi motus, de quo Gentilis & Plinii patronus (ut arbitror) loquitur, non parvum habet difficultatem, propter ambigentes Medicorum sententias, licet omnes ferè recentiores in hoc videantur convenire, quod cum cibus devoratur, gula, sive meri, simul cum epiglotto versus fauces, & os moventur, in qua hæresi est etiam Plinii patronus, quamvis in parte evariet; quoniam ipse ait guttur, cujus pars gurgulio est, in devorando sursum versus gulam trahere. Contra, Mundinus, atque omnes ferè recentiores Avicennæ expositores Mundinum secuti, scribunt quod epiglottus hora transglutionis non movetur sursum, quia aliquo modo videatur, ex se, sed quia trahitur ab isophago. Quare secundum ipsos & Galenum etiam, quem citant in libro de motibus liquidis, non gurgulio pars gutturis, sive epiglottus, in hora deglutionis sursum versus gulam trahit, sed gula potius eadem hora sursum versus trahit epiglottum, quem Plinii patronus, nescio an rectè (ut dixi), nominet gurgulionem; hanc autem esse Mundini sententiam indicant ejus verba, quæ causam etiam hujus motûs epiglotti, non ex se, sed ex accidenti afferunt. Sunt autem hæc: Verum est quod meri agiliter

ſeparatur à trachea uſque ad epiglottum, ibi vero difficulter; propterea quia tunica meri diſperſa eſt in epiglotto, & ideo ab eo non facile ſeparatur; & hoc fecit Natura ſagacitet ad hoc ut in hora tranſglutionis, cum *meri* elevatur ad os ad attrahendum cibum, epiglottis etiam elevetur, ne ſui duritie & ſoliditate impediat tranſitum cibi, & iſta continuatio non fuit neceſſaria in tota arteria, quia ipſa ſecundum totum præter epiglottum non eſt cartilaginoſa. Et ex hac anatomia manifeſtatur ſententia Galeni in libello de motibus liquidis, quod epiglottis hora tranſglutionis non movetur ſurſum, quia aliquo modo moveatur, nec ex ſe, ſed quia trahitur ab iſophago propter continuationem dictam.

Hæc Mundinus Galeni citans, & tamen in multis ab eodem Galeno diſſentiens; tunica enim de qua loquitur, per quam meri epiglotto continuatur, per totam extenditur tracheam arteriam & totum epiglottum, atque etiam in partibus interioribus, per fauces autem, & os, & linguam in partibus exterioribus, ut planè Galenus oſtendit, circa initia ferè lib. 7 de utilitate partium. Quare hæc duorum membrorum per tunicam unam continuatio longius extenditur quàm Mundinus opinatur, & hac eadem interiori parte *meri* villos habente oblongos, quibus attrahit cibum, fieri non poteſt quin tempore deglutionis iidem villi contrahantur, & longitudo *meri* eodem tempore abbrevietur. Quare fit, ut tantùm epiglottus ſurſum verſus retrahatur, quantum *meri* ad inferiora deglutiendo movetur; hos autem motus, & deſcenſus meri, & aſcenſus epiglotti, quodam in loco ſuæ anatomices Galenus comparat ſimilibus motibus in inſtrumento quo aqua exhauritur è puteo apparentibus; nam in deſcenſu vaſis lignum, cui vas per funem alligatur aſcendit; vaſe autem aſcendente lignum deſcendit. Sic enim etiam, ut inquit Galenus, ſtomacho, vel iſophago à deglutione ceſſante, larynx, ſive epiglottus manifeſte videtur ad inferiora deſcendere. Hic ergo eſt ille motus per accidens, quo Galenus dicit, in libro de motibus liquidis, epiglottum moveri, tempore quo cibus devoratur, haud quaquam

talis qualem Mundinus atque Gentilis videntur imaginari, attollente se scilicet ad superiora *meri*, etiam epiglottum attolli, & se demittente, demitti. Immò, ut ex verbis Galeni licet conjicere, obversus omnino, neque etiam hi duo motus ascensûs, & descensûs meri atque epiglotti sunt motus animales, hoc est facti per musculos, ut etiam visus est existimasse Gentilis, cum dixit guttur aliquando accipi pro corpore aggregante epiglottum & meri, quod in transglutione movetur sursum & deorsum, & sic sumi primo canonis, fen. prima, capite de anatomica musculorum gutturis, sed potius naturales, hoc est facti virtute villorum meri, qui in se contrahuntur tempore deglutionis, & ea cessante relaxantur, licet motus meri sit per se, motus autem epiglotti sit ex accidenti, ut etiam Galenus sentit libro de motibus liquidis.

Miror autem Gentilem, diligentem alioquin Avicennæ lectorem, atque etiam expositorem, hos motus ascensûs atque descensûs, tam in epiglotto, quam etiam meri, non animadvertisse, ac saltem Avicenna docente didicisse, non vi animali fieri musculorum, sed naturali potius villorum tunicæ vestientis os meri & epiglottum, quando & ipse Avicenna hoc ipsum docet, fen. tertia decima, libri 3 capite primo, de anatomia meri & stomachi, ubi causam reddit quare hæc tunica ita vestiat partem interiorem meri, sicuti & epiglotti, & oris (ut diximus) exteriorem, in hunc modum scribens: Et non vestitur interior pars ejus panniculo extenso usque ad postremum stomachi adveniente ei ex panniculo tegente os, nisi ut attractio sit continua, & adjuvet ad sublevandum epiglottum ad superiora, quum fit deglutitio, cum extractione meri ad inferiora. Idem Avicenna non multo post, eodem capite, scribit hæc verba: Et est ex duabus tunicis, quarum interior longitudinales habet villos, propter illud quod scitur de necessitate attractionis, & propter hoc contrahitur stomachus, quum fit deglutitio, & elevatur epiglottus. In his enim verbis Avicenna nihil aliud voluit, nisi quod Galenus, insinuare, quod cum meri descendit in deglutitione, epiglottus ascendat,

& contra; utrumque autem motum esse naturalem, ut pote factum à panniculo, sive villis panniculi tegentis os atque meri & stomacum, atque una epiglottum; alioquin epiglottus ad motum meri per accidens non moveretur, nisi & ipse quoque in hoc panniculo cum eodem meri communicaret.

Miror insuper Plinii patronum rem diversam ab omnibus aliis qui de anatomice scripserunt, in sua anatomice scribere non dubitasse: guttur, cujus pars gurgulio sit, in devorando sursum versus gulam trahere; cum, secundum Mundinum, non epiglottus gulam, sed gula ascendens epiglottum faciat ascendere. Secundum autem Galenum atque Avicennam, gula sive meri se contrahendo descendens epiglottum cogat ascendere, secundum Gentilem vero epiglottum & meri, simul in transglutione sursum moveantur, aut deorsum; nam si eosdem musculos habent suis motibus servientes, ut plane Gentilis videtur existimare, non equidem video quî aliter possit hic motus corporis epiglottum atque meri aggregantis contingere, cum præsertim musculi semper ad sua principia referant eam quam movent particulam, ut etiam fuit superius à nobis contra eumdem Gentilem ex Galeni auctoritate argumentantibus demonstratum.

Idem tamen Gentilis, fen. 10 tertii, capite de anatomia epiglottis & cannæ, scribit hæc verba: Considerandum quod pars cannæ pulmonis, quæ dicitur epiglottum, ubi non est ista diminutio cartilaginis, in hora descensus boli ascendit sursum, & ideo ipsa non comprimitur, sive à buccella, & ideo non dolet homo, neque nocetur anhelitus, sed totam cannam non fuit possibile superius trahi, & ideo ne fiat conjunctio boli transeuntis in actu anhelandi, & ne pressura fiat in canna, non fuerunt perfectæ circulationis. In quibus verbis visus est, & ipse Gentilis cognovisse, cum bolus descendit, epiglottum ascendere. Utrum vero epiglotto ascendente meri descendat, vel una ascendat, ut Mundinus putavit, nec qualis sit iste motus, an naturalis, an animalis, ex verbis his possumus exploratum habere, sicuti ex primis de gutture accepto pro corpore aggregante epiglottum & meri, quod in transglutione

tione movetur ſurſum & deorſum, idem videtur cum Mundino ſentire, ac præterea hujuſcemodi motum fieri virtute muſculorum, cum alleget Avicennam primo canonis, fen. prima, capite de anatomia muſculorum, ex quibus quatuor trahunt guttur deorſum, duo vero adjuvant deglutionem. Quare diligentius conſiderantes, inveniemus inter primæ expoſitionis verba atque ſecundæ, contrarietatem : ſecunda enim nobis innuit aſcenſum epiglotti, cum bolus deſcendit, eſſe naturalem; ſiquidem (ut antea declaratum eſt) hujus motûs cauſa ſunt villi oblongi tunicæ interioris *meri*, quæ etiam tunica eſt epiglotto communis. Prima vero (ut probavimus) oſtendit eumdem motum eſſe animalem, quod, ſecundum Medicos qui vim animalem à naturali diſtinguunt, non poteſt contingere, licet duæ virtutes ad eumdem motum peragendum poſſint conjungi, quemadmodum ad levandam alvum inferiorem ſimul agunt, & vis naturalis expulſiva inteſtinorum, & vis animalis muſculorum qui in parte ventris ſuperiore collocantur, quas duas virtutes nos etiam opus deglutionis adjuvare concedimus, & tamen negamus *meri* habere muſculos, ſicuti neque inteſtina habent, præter ultimum *rectum* nominatum, qui in ultima ſui parte quæ ſedes appellatur, muſculum habet, qui prohibet ne nobis invitis exeant excrementa alvi inferioris. Quare Galenus, libro ſexto de membris paſſis, ſive de interioribus, ut nunc inſcribitur, dixit dejectionem alvi, partim eſſe naturalem, partim animalem, & tamen motum quo alimentum, chylus videlicet, à ventriculo fertur ad inteſtinum jejunum, & ab illo ad tenue dixit eſſe merè naturalem, quoniam in hoc virtus motiva animalis non operatur, cum hæc inteſtina non habeant muſculos, ſic & nos motum cibi, ab orificio gulæ uſque ad fundum ventriculi, eadem ratione dicimus eſſe tantummodo naturalem, & vim animalem nullum in hoc habere locum, ſed tantùm in admovendo cibum ad gulæ orificium. Ad hoc enim & motus linguæ, & muſculi duo in faucibus collocati operantur, atque eatenus deglutio poteſt dici motus animalis, quia hac operatione non præcedente non poſſet cibus poſtmodum, vi naturali attractiva *meri*, ad inferiora deſcen-

dete; & hoc eſt quod puto voluiſſe Avicennam dicere, cum dixit fen. prima, capite de operationibus: Et ſimiliter tranſgluriendi operatio duabus completur virtutibus; una eſt attractiva naturalis, & altera eſt attractiva voluntaria, & prima quidem ſuam complet operationem per villum, qui ſecundum longitudinem protenditur, qui eſt in ore ſtomachi & iſophago; & ſecundæ completur operatio per villum lacerti tranſglutiendi.

Vellem autem ut in hoc loco Avicenna, ſicuti nobis declaravit id quod non erat admodum obſcurum, ubi ſcilicet eſſet locatus villus oblongus, per quem virtus attractiva naturalis ſuam exercet operationem, quem dixit eſſe in ore ſtomachi & iſophago, ita quod magis latebat aperuiſſet, poſitum ſcilicet villi lacerti tranſglutiendi an eſſet in iſophago, an in pharynge, id eſt faucibus, in quibus illum Galenus procul dubio collocavit, ut ſatis fuit à nobis ſupra declaratum, quamvis Avicenna poſtmodum, libro tertio, eum in capite meri eſſe nobis inſinuaverit; ubi ſcribit ea verba quæ etiam ſupra recitavimus: Et non movetur aliquod iſtorum membrorum quæ ſunt via cibi per lacertos, niſi duo extrema, ſcilicet caput, & eſt *meri*, & inferius, & eſt ſicteris. Pharynx autem non eſt iſophagi, ſive meri caput, ſecundum Galenum, ſed illud ſpatium oris ad quod caput meri terminatur, ut etiam ſupra à nobis fuit déclaratum.

Miror autem de expoſitoribus Avicennæ, tam vetuſtioribus quam recentioribus, qui in his in quibus ſunt Galenus atque Avicenna concordes, ſicuti in contractione ſtomachi, tempore deglutionis, & eodem tempore elevatione epiglotti, ab eorum communi opinione receſſerunt. Ubi autem fuere diſcordes, ſicuti in muſculis faucium atque meri, nullam inter eos diſcordiam notaverunt, neque duos Medicinæ Principes in eamdem ſtuduere revocare concordiam, cui præcipuè ſtudio, cum Jacobus de Partibus, noviſſimus Avicennæ expoſitorum, videatur incumbere, in hac parte viſus eſt quodammodo dormitare, quaſi Avicennæ conſentiens, & idem putans Galenum atque Avicennam de his muſculis dicere, qui ſint harum extremitatum proprii, alterius

ſuperioris quæ vocatur caput meri ſive gulæ, alterius inferioris quæ à junioribus Medicis, partim barbare, partim Latine loquentibus, nominatur anus atque fiſteris. Idem tamen Jacobus, primo canonis, fen. prima, capite de anatomia muſculorum, id in quo Galenus atque Avicenna conveniunt, de motu epiglotti ſurſum verſus, & motu iſophagi verſus deorſum tempore deglutionis, animadvertit, & Galenum allegat ſuper his motibus, ſexto de juvamentis membrorum. Verum & ipſe, ſicut etiam Gentilis, non meminit ſe poſtea tertio canonis, eoſdem motus contrarios, meri ſcilicet atque epiglotti, non muſculis qui ſunt virtutis motricis animalis inſtrumenta, ſed magis villis tunicæ meri interioris, qui virtuti attractivæ naturali obſerviunt, contribuiſſe. Quare diligentius conſiderantibus, doctrina Avicennæ, cum tot expoſitoribus qui partim alii ab aliis, partim iidem à ſe ipſis in variis locis diſcordant, chaos quoddam videri poſſit, qua confuſionis obſcuritate nihil poſſit eſſe humanæ vitæ periculoſius. Nos ſane ad hanc amovendam atque extirpandam, & noſtræ ætatis hominibus lucem aliquam veritatis aperiendam, partim librorum Galeni Medicorum Principis tranſlationibus, partim in eoſdem commentationibus, die noctuque laboramus, quamvis certo ſciamus nos hoc labore noſtro apud illos qui mallunt didiciſſe, quam diſcere, plus odii quam gratiæ conſecuturos.

Sed jam ad id quod reliquum eſt noſtri inſtituti redeamus. Erat autem noſtrum inſtitutum non modo nos in his in quibus fuimus à Plinii patrono notati, ſed & una Hermolaum qui pariter accuſatur, defenſare, quamvis Plinii patronus meo nomini in ſua parcat præfatione, Hermolao non parcat, ſive quod majorem gloriam ex Hermolai, quam ex noſtri æmulatione ſe aſſequi poſſe ſperaverit, ſive hoc noſtræ amicitiæ dederit, quam illi gratiam rependimus, nuſquam ipſum in toto opere nominantes, ſed ſolum patroni Plinii appellatione inſignientes. Hic ergo Plinii patronus, etiam in *lactibus* accuſat Hermolaum, tamquam inepte Theodorum excuſantem. Sed qui poteſt eſſe inepta excuſatio, cum vir doctus alterum doctrina parem, ſicubi aberrantem

Mmm ij

animadvertit, quoniam humanum ſit aliquando aberrare, idem erratum, ſi non omnino, vera ſaltem probabili ratione defendit; ubi præſertim non rei inſcitia, ſed potius vocabuli, fuiſſe deprehenditur, quam nos toties Plinii patrono, in ejus anatomice condonamus, non vocabulorum, ſed rerum potius ignorantiam redargui in ſcribentibus debere judicantes. Hoc tamen in loco ſumus utrumque facturi, hoc eſt non tantum res, ſed etiam nomina perſcrutari, quandoquidem id faciendi nobis Plinii patronus dedit occaſionem, qui Theodorum damnat non recte meſenterion *lactes* interpretantem, & Hermolaum carpit, in hoc Theodorum inepte (ut ipſe inquit) excuſantem. Vicinitatem membri (ait Plinii patronus in ſua anatomice) dedit quibuſdam errorem, quo *lactes* pro *meſenterio* ſæpe dixerunt.

Hunc prius animadverterat in Theodori tranſlationibus Hermolaus de quo mirari ſe dicit, quod lactes pro meſenterio acceperit. Siquis tamen Theodorum tueri velit pro meſenterio *lactes* interpretantem, ſciat, inquit partem & id quod continetur, pro eo quod continet acceptam. Sic quidem Theodorum Hermolaus excuſat, vel potius dat alteri excuſandi viam, quam ſicuti ego non omnino probo, ita Plinii patronus ineptam cenſet; ipſe forte magis inepte judicandus, de meſenterio ſcribere, meſenterion idcirco tale apud Græcos nomen adeptum quod medium ſit inteſtinum, cum meſenterium non ſit inteſtinum, ſed potius in medio inteſtinorum collocatum : unde & illi apud Græcos nomen, à poſitu ſcilicet ſuo, ſicuti & alterum apud eoſdem Græcos eſt à propria ſubſtantia ſortitum, quo meſareon appellatur, quoniam omnes venas quæ ad ipſum ex hepate feruntur, una cum adjacentibus arteriis circumquaque ambit atque complectitur ; talem enim duarum appellationum Galenus noſter in ſuis de anatomice libris rationem aſſignat. Nec minus Plinii patronus, in primi ex gracilioribus inteſtinis, qui una cum aliis lactes complet, peccat nomenclaturâ, quod dicit pyloron à Græcis vocari, quod idem & ſi Celſus dicat, & Celſum ſecutus Hermolaus, hoc tamen non adeo eſt illis errori tribuendum qui plus eloquentiam, quam

medicinæ artem profitentur, quantum Plinii patrono qui ejusdem professor artis Galenum magis atque Avicennam, ubi ambo concordant, debuit in nominibus medicinalibus imitari; uterque autem Auctor pyloron, seu pottonarium, sic enim Avicenna & Medici juniores Avicennam sectantes nominant, inter gracilia intestina non numerant, sed primum quidem ex illis ait Galenus ἐκφυσιν, id est exortum nominari, quia ex pyloro primus exoriatur, aut dodecatylum, seu, ut nunc Medici loquuntur, duodenum, quia ad longitudinem duodecim digitorum extenditur.

Avicenna quoque, fen. sexta decima, tertii, capite, de anatomia intestinorum, qui sunt numero sex, primum ait esse duodenum. Supra vero fen. 13, capite de anatomia meri, & stomachi scripserat de pottonario & duodeno, hæc verba: Et in inferiore parte stomachi est foramen, cui continuatur intestinum duodecim digitorum, & hoc quidem foramen nominatur portonarius, & est strictius foramine superiore; quoniam est transitus ejus quod est contrarium ei, & iste quidem meatus clauditur usque quo completur digestio: ex quibus Avicennæ verbis, quæ hoc in loco scribuntur, duo elici possunt quæ etiam Galenus sentit, portonarium non esse primum intestinum, sed in foramen cui continuatur primum intestinum, & esse situm in inferiore parte stomachi, ita quod potius esse ex substantia aquæ stomachi quam intestinorum, debet judicari, licet de hoc idem Avicenna postea fen. sexta decima, capite antea allegato, contrarium determinaverit, scribens in hunc modum: Et intestinum duodenum est fundo stomachi continuatum, & habet orificium sequens stomachum, & nominatur portonarius. Item paulo inferius eodem capite de amplitudine orificii duodeni: Et ejus quidem amplitudo, est amplitudo orificii ejus quod nominatur portonarius. Verum Avicenna, præter id quod sibi ipsi variis in locis videtur repugnare, est etiam in hoc Galeno contrarius, qui multis in locis innuit pyloron esse imam ventriculi partem; sicuti, cum libro secundo artis parvæ, hominem pituitosum quotidie evomen-

tem bilem; dicit huic affectui fuiſſe obnoxium, quoniam meatus qui bilioſum eructat humorem, non parvam hujus partem ad pylorum ventriculi tranſmittebat.

Sed manifeſtius idem Galenus pylorum eſſe ex ſubſtantia ventriculi, non dodecatyli, ſeu duodeni, declarat aliis verbis, libro ſexto de aggreſſibus anatomicis in hunc modum ſcriptis: Statim autem videbis, ſi diligentius animadverteris, in locis quæ portæ hepatis nominantur, meatum qui ex bilis conceptaculo venit ad exortum inteſtinorum, non multum poſt illum qui pylorus nominatur: hunc autem ipſum pylorum in quibuſdam animalibus videbis craſſiorem habentem, ſecundum propriam circumſcriptionem, ſubſtantiam ventriculi, ubi primum ex ea naſcitur inteſtinum. Nonnulli vero nondum eum inteſtini appellatione dignum putant, priuſquam implicari incipiat, ac propterea quidam vocant ipſum exortum ſimpliciter, nonnulli cum hac adjectione δοδεκάτυλον. Ex quibus Galeni verbis, ſi quiſpiam diligentius ipſa perpenderit, id quod nos dicimus poterit intelligere: inteſtinum quod à junioribus duodenum nominatur, quod nonnulli ex vetuſtioribus, neque inteſtinum appellandum eſſe judicarunt, quoniam non eſſet implicitum, diverſum eſſe à pyloro propriam habente ſubſtantiam, imam ventriculi partem, ſed craſſiorem; neque ad pyloron, ſed paulò inferius, hoc eſt ad exortum, ſive duodenum, bilem tranſmitti per proprium meatum, ab ea veſica quæ conceptaculum bilis nominatur, prodeuntem. De quo meatu, unus ne ſit, an geminus, & ad quem locum terminetur ſcio à Medicis junioribus pleriſque ignorari, qui Mundinum ſequentes, putant meatum hunc circa ſui initia eſſe unum, demum in proceſſu in duos ſecari ramos, quorum major in pluribus hominibus feratur ad duodenum, alter vero minor ad fundum ſtomachi, ut ex calore bilis ad eum provenientis ſtomachus ad concoquendum cibum fortior efficiatur. De quo tamen uſu Galenus, neque libro quarto de utilitate partium, neque uſquam alibi in ſuis ſcriptis fecit mentionem; quin potius libro quinto de utilitate partium, quærit cur natura non æque meatum fecit bilem impor-

tantem, ad ventriculum pertingentem, ficuti ad exortum, five duodenum: & refpondet non effe hoc naturæ negligentiæ adfcribendum, fed potius benignitati, quæ parvo commodo, quod ex tali meatu ventriculus erat affecuturus, aliud multo majus incommodum noluit corrogari, continuam fcilicet ciborum evomitionem quos flavæ bilis acritudine ventriculus irritatus non poffet eo, quo concoqui debent, tempore retinere. Sententia ergo Galeni eft quam etiam lib. 2 de temperaturis, five complexionibus manifeftat, meatum hunc non femper effe duplicem, ut videtur fentire Mundinus, qui aliter nefcit folvere Galeni dubitationem, tertio de virtutibus naturalibus, quomodo per idem collum cyftis fellis attrahit choleram & expellit, fed aliquando fimplicem, & cum fimplex eft ad inteftinum medium, inter pyloron atque jejunum, id eft ad exortum, five duodenum pervenire. Cum vero duplex fit, ramum ejus majorem ad ftatim dictum exortum, feu duodenum, pertingere, alterum autem minorem ad ventriculi fundum paulo fupra pylorum, &c. hoc maxima ex parte; rariffime autem contingere, ut loca permutentur, & major ad fundum ventriculi, minor vero ad exortum, five duodenum, proveniat. Ex hac autem permutatione magnum dicit accidere incommodum, quoniam continuo ventriculus flavam recipit bilem, & fubinde evomere cogitur, antequam cibum affumat; quod fi retineat, magnum ex eo fentit detrimentum. Quibus vero meatus eft omnino fimplex, his bilem univerfam Galenus inquit ad jejunum defluere inteftinum. Ex quibus Galeni dictis poffumus plura colligere; primum magis hominum naturæ convenire hujus meatus fimplicitatem quam duplicitatem; fecundo loco, fi duplicitas adfit, convenientius majorem ramum ad primum inteftinum exortum, vel duodenum nominatum pervenire: nam fi contrarium eveniat, effe naturæ multum aberrantis peccatum, ficuti parum aberrat, cum ex fimplici duplicem facit, & minorem tranfmittit ad fundum ventriculi, ut minus ei poffit officere.

Hanc autem Galeni opinionem, de bilis meatibus, confirmant verba Avicennæ, libro tertio, fen. 15, tractatu de anatomia fel-

lis, in hunc modum ſcribentis : Et pluribus hominibus eſt meatus unus, continuus cum duodeno : & paulo poſt ſubjungentis, hæc verba : Et non fuit creata in pluribus fellibus via ad ſtomachum, ut lavarentur humiditates cum cholera, ſicuti lavantur humiditates inteſtinorum, niſi quia ſtomachus læditur per eas, & patitur nauſeam, & corrumpitur digeſtio in ipſo, per illud quod miſcetur cibo de humore illo. Idem Avicenna fen. prima, primi, doctrina quarta, capite primo, duas tantum choleræ exponit utilitates, unam quæ eſt, ut ipſe ait, inteſtina à ſtercore, & viſcoſo flegmate abluere, aliam inteſtina ani & muſculos perurgere, ut quid ſit ei neceſſarium ſentiat, & egeſtiones emittat; tertiam autem quam Mundinus ſcribit choleræ euntis ad fundum ſtomachi, ad confortandum digeſtivam, omnino Avicenna reticet. Quare fruſtra Avicennæ expoſitor, quicumque ſit ille, cujus expoſitio cum aliis habetur impreſſa in expoſitione primi capitis, fen. 15, tertii, ſcribit hæc verba : Conſiderandum primo, quod ſi cholera vadat ex felle ad ſtomachum, ſolum vadit ut digeſtionem juvet, non ut abſtergat, vel mundificet; & ideo parvus fuit meatus qui ex felle venit ad ſtomachum, ſed in quibuſdam propter errorem in principio generationis, è contra fit, ut hîc Avicenna, & ſecundo de complexionibus Galenus. Hanc autem conſiderationem eſſe ſupervacuam, non ſolum Galenus libro 2 de complexionibus, ſed etiam Avicenna hoc loco demonſtrat, cum dicat in pluribus eſſe meatum unum continuum cum duodeno, quod etiam Galenus innuit ſecundo de complexionibus. Quod ſi ex uſu naturæ foret etiam alter meatus parvus, qui choleram ad fundum ſtomachi deportaret, non eſſet in pluribus meatus unus, ſed duo. Etſi enim aliquando Natura aberret in principio generationis, in pluribus tamen ſortitur finem quem intendit, ſicuti in pluribus hominibus quinque generat digitos, in paucioribus autem ſex aut quatuor. Vellem autem ut expoſitor Avicennæ cauſam reddidiſſet, ob quam pauca quidem bilis per parvum meatum tranſmiſſa ad fundum ſtomachi poſſit ſtomachum concalefacere, non poſſit autem ipſius abſtergere ſuperfluitates, vel

vel omnino rationem attulisset, cur parvus igniculus sit necessarius illi membro calefaciendo cui tot fornaces, omentum, splen, hepar, & ipsum præterea cor, principium, & fons caloris naturalis, suum calorem impertiuntur. Neque enim temere Galenus dubitavit, non cur ventriculi calefaciendi gratia, sed cur ejus superfluitates abstergendi, non ita ad ipsum Natura meatum fecisset, bilem apportantem, sicuti ad intestinum à junioribus Medicis duodenum appellatum; nam secunda dubitatio non caret ratione, cum idem ventriculus plurimas accervet superfluitates, & (ut Avicenna inquit) sit lacuna flegmatis: prima autem futilis videri potest; est enim ac si dubitaretur, cur foco ardenti parva stipula non adjungeretur.

Causam autem ob quam Mundinus existimaverit solvi dubitationem Galeni, libro tertio de virtutibus naturalibus, dicentis per idem collum attrahi choleram & expelli, quoniam (ut Mundinus inquit) idem est collum usque ad quamdam distantiam, postea bifurcatur; causam, inquam, talis solutionis ignorare me fateor, quoniam si aliquid valeret, tum oporteret etiam collum matricis esse bifurcatum, cum æque per ipsum attrahatur expellaturque, sicuti per collum vesicæ felleæ, sive cystis fellis. De utroque enim collo Galenus loquitur tertio de virtutibus naturalibus, & per utrumque vult fieri non minus expulsionem, quam attractionem, sicuti per eundem meatum gulæ, sive meri, & cibus attrahitur, & aliquando expellitur, ut in vomitu contingit. Plinii autem patronus multo plus, quam Mundinus, aberrat; in sua enim anatomice hoc collum non solum bifurcavit (ut Mundini utar vocabulo), sed etiam trifurcavit; nam primum ex ipsis in medium jecoris dicit derivare, alterum evidentiorem deferri ad pylorum omnium maximum ad intestina productum, qui lactes nominantur; ex secundo autem qui ad pylorum derivat tradi, ait, à quibusdam oriri, alterum qui in imum stomachum tendit, negari ab aliis, hoc autem non esse perpetuum. Idem Plinii patronus asserit, & rectè quidem, quoniam hæc quoque est Galeni sententia, ut retro declaravimus. Non rectè autem, atque omnino à Galeno dissone,

præter illum quod defertur ad pylorum, alterum ſcripſit, & quidem maximum ad inteſtina produci, quæ lactes nominantur. Ex eorum enim numero præter jejunum & tenue, etiam pylorus eſt, qui duodecim digitorum menſuram continet, ut Plinii patronus ſcribit capite de tribus inteſtinis gracilioribus, in quo etiam capite ſcribit ad hoc ipſum inteſtinum meatum fellis pertinere. Quod cum ſcripſiſſet, non debuit poſtea alio capite præter hunc meatum fellis, qui fertur ad pylorum (hoc eſt) ad primum ex his quæ lactes complent, inteſtinum alterum maximum facere, qui ad lactes producatur, quoniam antiqui Medici, veluti Galenus atque Avicenna, quemadmodum ſupra oſtendimus, unum tantùm fellis meatum prodidere, qui à veſica quæ eſt bilis conceptaculum, ad primum inteſtinorum derivat, quod Plinii patronus pyloron nominat, Galenus exortum & dodecatylon, Avicenna & reliqui Medici juniores duodenum; quanquam ſciam Plinii patronum ſe poſſe in hoc Avicennæ auctoritate defendere, quod tertio canonis, fen. 16, capite de anatomia inteſtinorum, ſcribit choleram citrinam venire ad jejunum inteſtinum, unde forte Plinii patronus poſſit argumentari, quod non ad pyloron ſolum, ſed etiam ad jejunum alter fellis meatus producatur; ſed meminerit Plinii patronus non eſſe alium meatum inteſtino jejuno neceſſarium, propter bilis flavæ receptionem, ad quem ſatis ſuperque de ea, à primo inteſtino, ſive pyloros, ſive exortus, aut duodenum nominetur, deſcendit: quare magis proprie Galenus loquitur, quum ſcribit, lib. 11 de temperaturis, ſive complexionibus, ſupra à nobis allegato: Quibus ſit iſte meatus ſimplex bilem univerſam ad jejunum defluere. Magis inquam proprie, quam Avicenna loquitur, dum defluere, & non venire talem humorem ad jejunum ſcripſit inteſtinum, ut quod ſciret eſſe potius ejus humoris ex alio inteſtino ſuperiore defluxum, quam adventum; quod etiam ſcire oportuit Avicenna, ne alioquin variis locis contraria ſentiret; ſiquidem, idem Avicenna, fen. 15, tertii capite de anatomia fellis, ſcribit fellis meatum in pluribus hominibus cum duodeno continuari.

Et hæc quidem de meatibus bilis dicta sufficiant, in quibus Plinii patronus, non parum, meo judicio, ut antea ostendi, deerravit, & tanto minus quam alii Medici, qui barbaram medicinam profitentes, ex malo intellectu verborum Avicennæ atque Galeni duos esse meatus, etiam in naturali dispositione, credidere, alterum qui vadat ad pylorum, alterum ad duodenum; tanto, inquam, minus debet excusari, quanto ipse non barbarorum, sed Galeni præcipue sectator, tum in aliis, tum in his quæ ad anatomicen maximè attinent, vult existimari. Sed non minus idem Plinii patronus in ipsis intestinis, tum à vero, tum à Galeni sententia recedit, ut cum scribit : Intestinum jejunum non ita esse implicitum, ut reliqua. Hoc enim falsissimum est, & dictis Auctorum, & his quæ sensui manifestantur, omnino contrarium. Primum enim intestinorum quod idem Plinii patronus polyton, alii duodenum nominant, est multo minus implicitum, immò nullo modo implicitum; ob quam causam quidam, ut Galenus non uno in loco, sed pluribus testatum reliquit, neque intestinum nominandum censuerunt, neque (si eidem Galeno credimus) tenue intestinum est magis quam jejunum implicitum, immò aut æque, aut etiam minus, siquidem multitudo involutionum in intestinis, tum aliam ob causam, tum ob hanc etiam est necessaria, ut plures venæ ad ipsas terminentur, quod videtur sentire non Galenus tantum, in suis anatomicis, scribens jejunum intestinum in multas inflecti involutiones quam plurimum vasorum habentes, sed etiam Avicenna qui ait unam inter alias causam esse involutionum continuationem orificiorum venarum sugentium; quare ubi plures sunt venæ, ibi plures esse involutiones, non modo sit verisimile, sed propemodum necessarium. Plures autem esse venas in jejuno intestino, quam in tenui, Galenus quoque testatur libro sexto de aggressibus anatomicis, ubi scribit: Tenue intestinum eamdem habere cum jejuno substantiam, tantum differre duobus, & quia nunquam vacuum invenitur, & quia non habet tantam vasorum multitudinem. Hanc majorem venarum in jejuno multitudinem etiam Avicenna, capite supra alle-

gato, confirmat; in eo tamen à Galeno, atque etiam à se ipso dissentit, quoniam post jejunum vult duodenum plures habere venas, quam reliqua intestina. Galenus non duodenum, sed potius tenue, secundum tenere locum in venarum abundantia, nobis insinuavit, cum dixit ea verba, quæ nuper adduximus: Intestinum jejunum in multas inflecti involutiones, quam plurimum vasorum habentes. Avicenna quoque idem sentire cogitur, si velit alteram servare causam multitudinis involutionum in intestinis, quæ est, secundum ipsum, continuatio orificiorum venarum sugentium: ubi enim sunt multæ venæ, ibi multas oportet esse involutiones; quod sicubi nullæ sunt involutiones, nec ibi tantam esse venarum multitudinem est existimandum. Nullas autem inesse duodeno intestino involutiones pariter Avicenna fatetur, fen. 16, capite de anatomia intestinorum, videlicet ubi scribit hæc verba: Et pars intestini subtilis quod sequitur duodenum, nominatur jejunum, & in hac quidem parte est initium involutionis, & circuitionis, & reflexionis, & quasi sint ei viæ plurimæ. Si ergo involutiones tunc primum initium habent, cum primum jejunum intestinum post duodenum exoritur, sequitur ipsum duodenum nullas habere involutiones, & consequio neque venarum multitudinem. Quare si Avicenna nolebat in suis sibi sententiis repugnare, debebat dicere post jejunum in tenui esse venarum mesaraicarum multitudinem, in quo & idem Avicenna fatetur esse revolutionem unam post aliam; idcirco & id nominat, non solum intestinum longum, sed etiam involutum & revolutum, quasi ipsum habeat plures etiam quam jejunum intestinum revolutiones, unde quispiam possit colligere majorem in eo esse venarum multitudinem, quam in jejuno, nedum quam in duodeno.

Tenue autem intestinum plures habere quam jejunum revolutiones Celsus quoque concedit, quem auctorem Plinii patronus, non solum in sententiis, sed etiam in verbis studuit imitari, licet plus quam Celsus erraverit, qui libri sui de mediana volumine quarto, non scribit jejunum intestinum minus esse quam reliqua implicitum. Ex his enim verbis sequeretur duode-

num esse magis implicitum, quod partim Galenus, partim Avicenna negat, qui vult & ipse revolutiones primum incipere in jejuno intestino; non, inquam, id scribit Celsus quod Plinii patronus, sed tantum hæc verba: Ab ea scilicet junctura quam pylorum vocant, jejunum intestinum non ita implicitum, inde tenuius intestinum in sinus vehementer implicitum; itaque debemus intelligere fieri non inter pyloron atque jejunum, sed tantum inter hoc & tenue, utrum eorum sit, vel magis, vel minus implicitum, comparationem, quam Plinii patronus etiam ad pyloron fieri, & pyloron esse magis quam tenue implicitum, rem penitus falsam in sua anatomice significavit. An vero jejunum sit magis quam tenue implicitum, ut partim ex Galeni, partim ex Avicennæ verbis colligi potest, an contra, ut Celsus apertissime nobis ostendit, his verbis: Tenuius intestinum est in sinus vehementer implicitum, & jejunum non ita implicitum, non ausim decernere, sed ex sectionibus videndum relinquo: illud ausim pro certo affirmare Mundinum in sua anatomice errare scribentem, jejunum intestinum eandem habere quam rectum intestinum rectitudinem. Hoc enim verissime potuit de duodeno dicere. De jejuno autem protulit falsò, sicuti & illud alterum, quod ad ileon, sive tenue intestinum, plures veniant venæ messaraicæ, quam ad aliquod aliud intestinum, Galeno atque Avicenna contraria afferentibus, primum scilicet ex intestinis gracilibus jejunum intestinum involutiones suscipere, Galeno vero duabus differentiis, jejunum à tenui manifeste separante, & quia tenue non invenitur vacuum, & quia non habet idem tenue tantam venarum multitudinem.

Neque illud verebor dicere, licet minus libenter, ubi de erroribus agitur, faciam de viris eloquentibus mentionem: non unquam verebor dicere Plinii patronum, unà & Celsum aberrare, scribentes idcirco pylorum intestinum, hoc nomen apud Græcos esse sortitum, quoniam portæ modo per partes inferiores ea quæ excreturi sumus, emittit; neque enim ad hunc finem intestina, præsertim gracilia, à natura sunt facta, ut per ea excrementa alvi

inferioris emittantur , sed potius ut sint instrumenta ciborum diductionis, qui per venas messaraicas nominatas ad hepar debent transmitti : rectiùs ergo Galenus noster pylorum dicit ea ratione, ita fuisse nominatum, sive pro ima parte ventriculi, sive pro primo intestino, huic annexo accipiatur, ut veluti janitor justus nihil permittat exire, quod non fuerit prius in chylum conversum, atque concoctum. Talem autem chyli bene concocti substantiam, certum est per pylorum ad inferiora intestina diduci, non ut excernatur, sed potius ut intra corpus retineatur, vi hepatis in sanguinem transmutanda, ex quo omnia membra debent nutriri: quare Galenus, libro 5 de utilitate partium, aperte pronunciat intestina non esse superfluitatum excretionis, sed alimentorum potius, ut diximus, instrumenta. Quod si una cum chylo, ut nonnulli opinantur, illa etiam per pylorum exeant, quæ vel suæ quantitatis, vel qualitatis ratione ab hepate repudiat, postea sumus excreturi, non tamen horum ratione meatus iste à Græcis fuit pylorus appellatus, sed altera potius, quam paulo antea ex Galeni auctoritate approbavimus.

Deinde quod non est de nomine, sed de re ipsa contentio, Plinii patrono negabimus alvi excrementa, quæ stercora nominantur, formam suam substantialem suscipere in stomacho, ut partim ex his verbis quæ modo confutavimus, partim ex aliis quæ in sua anatomice scripsit, videtur existimasse, ubi scilicet ait excrementa in colo intestino diutius immorari, atque ibi quandam effigiem suscipere. Quid enim per hæc verba Plinii patronus nobis insinuat? nisi se quoque in eadem hæresi esse in qua & Gentilis, & Jacobus Forliviensis, & omnes ferè Avicennæ expositores qui volunt non solum ex Avicennæ, sed etiam Galeni sententia, stercora formam substantialem suscipere in stomacho, colorem autem atque figuram in intestinis ; neque animadvertunt quam multa absurda ex tali opinione sequantur, quæ non modo Hippocratis atque Galeni dogmatibus adversantur verum, & sensui atque experientiæ repugnant. Habetur Hippocratis aphorismus, septima particula aphorismorum, in hunc modum scriptus *ileo-*

vomitus, *& singultus malum.* In cujus aphorismi expositione Galenus inquit accidere hæc in ileis exitialibus, in quibus stercus ascendit stomachum. Ego vero non video cur non eosdem casus possit efficere stercus in stomacho genitum, quos facit ascendens ab intestinis ad stomachum. Quare si stercus *suum esse* habeat in stomacho, ut volunt, supra memorati viri, quotidie homo fieret ileosus, quotidie vomeret ac singultiret, neque id foret necessarium, quod de ileo scribit Galenus, libro 3, de potentiis naturalibus, in tali passione non posse stercus exire per os, nisi prius pertranseat totum tenue intestinum, & pylorum, atque ventriculum, & gulam, si in stomacho prius suam habuisset idem stercus generationem, quam in intestinis habere gracilibus declarat idem Galenus, eodem libro tertio, de potentiis naturalibus, duobus in locis, primo quidem ubi ita scribit : Ostensum autem est & prius, quod nihil subito in contrariam transfertur qualitatem : quomodo igitur panis fiet sanguis? quomodo beta, vel faba, vel aliquid aliud? nisi prius aliquam aliam alterationem susceperit : quomodo autem stercus in intestinis gracilibus subito generabitur? quid in istis vehementius ad alterationem existit, quam in ventriculo? numquid tunicarum multitudo, vel proximiorum viscerum appositio, vel moræ tempus, vel natura quædam in instrumentis caliditas? Item eodem libro inferius similia verba Galenus scribit, ex quibus colligere possumus, stercus secundum ipsum, in intestinis gracilibus, & non in ventriculo primum generari. Sunt autem hæc : Neque enim cibi quidem antiquam mutant qualitatem, adeo velociter ut, cum in tenuia inciderint intestina, statim sint stercus. Bilis autem non multo magis, vel urina, ubi venas exierint, mutant qualitatem, citissime transmutationem ac putrefactionem subeuntia.

Apparet autem ex his Galeni verbis utroque in loco conscriptis, stercora fieri in intestinis tenuibus, non per separationem & deputationem à chylo, ut Jacobus Forliviensis in sua quadam scripsit conclusione quæstionis tactæ, secunda particula aphorismorum, in qua quærit quo in loco fæx vel egestio suam recipit for-

mam, non, inquam, per ſeparationem & depurationem, ſel alterationem magis quæ ad ſubſtantiam terminatur ; unde & idem Jacobus tertiam ſcribit concluſionem, quam dicit poſſe probabiliter ſuſtineri , aliquando fæcem , tam ſubſtantialem , quam eſt accidentalem formam in intinis acquirere. Hoc autem non aliquando fit, ſed ſemper in hominibus ſanis, ut ex verbis Galeni ſupra allegatis patere poteſt. Cui tamen Galeno Jacobus contrariam adſcribit opinionem, quod ſcilicet forma ſubſtantialis in corpore naturaliter diſpoſito & debite tecto acquiritur in ſtomacho. Hæc enim eſt prima concluſio Jacobi, quæſtione allegata, ſecunda autem altera tacta, quod ſeperatio & depuratio fæcis à chylo , & accidentalium diſpoſitionum acquiſitio, quibus fæx à chylo diſcernitur, acquiritur in inteſtinis : per quas duas concluſiones putavit Jacobus ſe inter Galenum atque Avicennam feciſſe concordiam, quaſi prima concluſio foret ex Galeni, ſecunda autem ex Avicennæ opinione, & neutra alteri contradiceret. Quod ſi ita eſſet, ut Jacobus exiſtimavit, tunc omnis contradictio inter Avicennam atque Galenum rolleretur. Verum res contra ſe habet; nam, ut ex antea dictis apparet, Galenus & ipſe qui ſentit ſtercus in inteſtinis tenuibus generati, ſicuti Avicenna in ſtomacho, quam Avicennæ eſſe opinionem poſſum nihilominus ex pluribus Avicennæ verbis demonſtrare; nam fen. decima ſexta, tertii, capite de anatomia inteſtinorum, aſſignans cauſas Avicenna ob quas orificium duodeni ſit ſtrictius quam meri, inter alias hanc quoque ſcribit, quoniam penetranti in meri non attribuitur ex virtutibus naturalibus, niſi virtus una, penetrans autem in inteſtino primo patitur à duabus virtutibus, quarum una eſt expulſiva, quæ eſt in ſtomacho, & altera eſt attractiva, quæ eſt in inteſtinis, & adjuvat eam fæx, quæ provenit propter ſummam cibi, & ſit facilis propter illud expulſio per viam temperatæ amplitudinis. Quæ poſtrema verba indicant manifeſte fæces, quæ alio vocabulo ſtercora nominantur, in ſtomacho ſecundum Avicennam generati, alioquin vi attractiva duodeni, & aliorum inteſtinorum non attraherentur ; unde coactus eſt dubitare Gentilis , quid ſit illud quod inteſtina principaliter

principaliter trahunt, si tractus fæcis est adjuvativus & solvens dubitationem, scribit hæc verba, quod principalis attractio cibi ab intestinis fit, ut intestina voluptuentur, & ex eo sumant aliquid; & quia fæx in intestinis est proportionalis, sicuti urina in vesica, ideo juvat hanc attractionem fæx, quæ provenit ex summa cibi. Item paulo post solvens Gentilis aliam dubitationem, an intestinis sit virtus attractiva, in eamdem sententiam per hæc verba scribit: Dicendum quod in intestinis est attractiva virtus; nam si intestinis est aliqua voluptuatio ejus quod est in eis, igitur illud attrahunt; nam attractio ex voluptuatione dependet, cum attrahens attrahat propter voluptuari: sed si minus intestina voluptuantur, eo quod est in eis, cum aliquam ex illo refocilationem recipiant, saltem gracilia, & etiam grossa aliqualiter voluptuantur in fæce, quemadmodum canes in superfluitaribus; sic intestina in fæce, vesica in urina, & fel in cholera, ut tertio de virtutibus naturalibus. Hæc quidem Gentilis, qui in suis verbis videtur sentire ita: Fæces trahi ab intestinis, sicuti à vesica urinam. Galenus vero ne chylum quidem vult trahi ab intestinis, ex quo nutriuntur, nedum fæces. Neque vero à vesica urinaque, sed alterum quidem à ventriculo per pyloron ad intestina propelli, urina vero à renibus ad vesicam per meatus urinarios, ut de intestinis Galenus ipse multis testatur locis, quos nullam omnino vult habere attractivam, atque ideo fibris, seu villis carere rectis. De vesica autem libro 6 de interioribus manifeste declarat.

Avicenna quoque paulo superius afferens pariter rationem, ob quam duodenum sit strictius quam meri, scribit hæc verba: Et illud quod penetrat in hoc intestino est lenius, & planius, & subtilioris quantitatis, propter digestionem suam in stomacho, & commixtionem spumæ aquosæ fæcum. Quæ verba exponens Jacobus de Partibus, novus Avicennæ expositor, scribit in hunc modum: Et res quæ transeunt per portonarium & duodenum, sunt leniores his & planiores, id est minus asperæ, seu magis lenes, & subtilioris substantiæ, vel minoris molis, vel graciliotis. Primo causa digestionis quam in stomacho acquisierunt, quæ illic

permiſcuit ſubtilia cum groſſis, & ipſa adæquavit; ſecundo, propterea quod quæ ſibi admixtæ ſunt ſpumæ aquoſæ fæcum, ſubtiliantur. Hæc ille : Verum Avicennæ rationes probantes primum inteſtinum eſſe ſtrictius quam meri, præter id quod ſatis videntur abſurdæ, ſunt etiam aliter vitioſæ, quia alteri contradicunt, per quam poſtea Avicenna probat ſecundum inteſtinum ſemper vacuum reperiri, unde jejunum nominatur, quia videlicet cholera citrina venit ad hoc idem inteſtinum pura (hoc eſt) impermixta fæcibus, ut exponunt Avicennæ expoſitores ; nam ſi fæx chylo commixta trahitur ab inteſtino duodeno, à quo ſtatim deſcendit ad ſequens inteſtinum jejunum nominatum, quomodo poterit cholera citrina pura (hoc eſt impermixta fæcibus) pervenire ad inteſtinum jejunum, in quo offendit fæces chylo commixtas, ſicuti & in aliis ſequentibus ? Neque enim poſſunt dicere integram fæcum à chylo ſeparationem fieri in inteſtino, duodeno nominato, quod aiunt fæces chylo permixtas uſque ad monoculum & colon quoque pervenire ; quod indicant & ipſius Avicennæ verba capite allegato, de inteſtino monoculo ſcripta, in hunc modum: Et de eis eſt, quoniam hoc inteſtinum eſt initium reliquarum converſionum cibi ad fæculentiam, & præparationis ſuctiones futuræ, accidentis ei ex neceſſitate, licet non ſit in illo illa ſuctio. In quibus verbis videtur Avicenna ſentire fieri fæcum à chylo ſequeſtrationem per venarum meſaraicarum ſuctionem, etiam in craſſioribus inteſtinis.

Galenus vero quarto de utilitate partium ſimilem ſequeſtrationem, non quidem fæcum, ſi per fæces ſtercora intelligamus, ut intelligunt Avicennæ expoſitores, ſed partium chyli terreſtrium, quæ poſtea in inteſtinis gracilibus in ſtercora tranſmutantur, vult primum in ventriculo fieri, ut verba ejuſdem Galeni libro allato indicant, in hunc modum ſcripta : Promptuarium autem hoc quod cibum totum ſuſcipit, ceu divina, & non humana exiſtens creatio, laborat circa cibaria primo labore, ſine quo inutile eſt, & in nullum commodum animali. Expurgat enim ex eis, ſicuti qui circa tritici elaborationem artifices, ſiquid

terræ, aut lapidum, aut ſylveſtrium & nocivorum ſeminum infertur: ita & ventris virtus ſi tale aliquid fuerit, pellit inferius. Reliquum vero totum, quod fuerit naturâ benignum, adhuc benignius efficiens venis, quæ ad eum & inteſtina perveniunt, diſtribuit. Quorum verborum ſenſum non rectè accipientes quidam Avicennæ expoſitores, ſcribere non dubitarunt eſſe Galeni ſicuti Avicennæ opinionem, ſtercora ſuam formam ſubſtantialem ſuſcipere in ſtomacho. Nos vero dicimus materiam quidem, ex qua fit ſtercus, in ventriculo gigni, ſed nondum eſſe ſtercus, donec ad inteſtina gracilia proveniat, ſicuti & materia urinæ, ſcilicet aquoſa ſuperfluitas, & ipſa in ſtomacho, ſive ventriculo, ex cibis & potibus generatur, quæ eſt etiam materia ſudoris. Non tamen propterea dicimus, aut urinam, aut ſudorem, formam ſuam ſubſtantialem ſuſcipere in ſtomacho, ſed alterum in venis, ſeu magis in renibus, ut Theophilo placet, alterum vero in membris, ad quæ eadem aquoſa ſuperfluitas una cum ſanguine delegatur; eſt enim hæc vehiculum alimenti, tum ejus quod à ventriculo per venas meſaraicas defertur ad hepar, tum quod ab hepate ad totum corpus nutriendum tranſmittitur. Quare Gentilis & Jabobi Forlivienſis rationem, qua nituntur probare ſtercus ſuam formam ſubſtantialem ſuſcipere in ſtomacho, quoniam idem ſit dans formam juvativo & nocitivo, poſſumus ita refellere: Sudor eſt aqueitas ſanguinis, ut non modo Galenus, lib. 11 de ſimplici medicina, & libro de ſalubribus, ſed etiam Avicenna ſecundo canonis atteſtantur; & tamen ſanguis formam ſuam ſubſtantialem in hepate recipit, ſudor autem in aliis membris. Simile argumentum ex urina poſſumus facere, quæ eamdem habet cum ſudore materiam, ut Galeno libro paulo antea allegato, 11 ſcilicet, de ſimplici medicina placet; & tamen formatur in renibus, ut Theophilo placere diximus, quod etiam confirmat Egidius, & tamen ſanguis cui urina eſt ſuperfluitas, in hepate generatur. Cur vero ex urina, non modo renum, ſed imprimis hepatis, atque venarum diſpoſitiones, poſſimus dijudicare, non eſt difficile ratione comprehendere; cum materia illa aquoſa, ex qua fit urina in

renibus , plurimum à venis atque hepate patiatur , antequam à renibus attrahatur , atque in urinam liquidam convertatur. Sic ex ſtercore , tam ſupet ventriculi , quam etiam inteſtinorum affectibus dijudicamus , quoniam licet ſtercus in inteſtinis genetetur , materia tamen ex qua fit ſtercus , plurimam habuit prius in ipſo ventriculo alterationem , ut ſupra ex Galeni libro tertio , de potentiis naturalibus , auctoritate monſtravimus , loco quo ſcribit multas eſſe neceſſatias altetationes , antequam panis in ſtercus tranſmutetur.

Sed jam hanc rancidam fœtidamque de ſtercotum generatione diſputationem , quæ vel ſuo odore legentium nates poſſit offendere , relinquamus ; atque ad id quod ſecundo loco facere propoſueramus , ad Hermolai ſcilicet in his quæ ad medicinam attinent , defenſionem revertamur , quem video inſuper à Plinii patrono taxari, quod ſtrumas *adenas* dixetit, quæ ſtrumæ , ut taxator objicit, non ſunt *adenes* , ſed in eis naſcuntur , neque in omnibus. Quam quidem objectionem miror à Plinii patrono factam , Paulum Æginetam, ut audio , interpretante ; apud quem Auctotem legere potuit choeradas , quas Latine *ſtrumas* , vulgo *ſcrofulas* nominamus , eſſe adenas induratos. Quare non poteſt Plinii patronus Hermolaum reprehendete ſcribentem ſtrumas eſſe adenas , niſi illum pariter damnet , quem interpretatur , Auctorem. Accuſat etiam Hermolaum leucomata & argemata , idem eſſe falsò putantem : ſed caveat ipſe, ne ſit falſus accuſator, neve majori utatur licentia , quam illa qua me in ſua præfatione ſcribit ad Plinii tanti Auctoris calumniam fuiſſe invitatum ; nam quod ipſe Hermolaum non minorem noſtta ætate virum inique reprehendetit, indicant ipſa Hetmolai de argemis atque leucomatis verba in hunc modum ſctipta : Argemata videntur idem ferè eſſe , quod leucomata (hoc eſt) albugines , quanquam in loto herba Dioſcorides videatur ſe jungere , cum & ad argemata & ad leucomata pollere illam tradit, niſi quis non leucomata eo loco , ſed glaucomata ſcribendum eſſe cenſeat. Hoc quidem in loco Hetmolaus , ſint ne atgema atque leucomata idem oculorum vitium ,

nihil decernit, sed propter quandam utriusque affectus in colore similitudinem, non sine ratione dubitat. Circa finem tamen totius operis, hoc est Plinianarum castigationum & glossematum in Plinium, ubi Lectorem commonet quid de ejus labore debeat judicare, differentiam inter argemon atque leucoma apertissime ponit ex Pauli auctoritate, licet (ut postea subjungit) Pausonias argemon idem putaverit esse quod leucoma. Verba Herbolai loco quo diximus hæc sunt : Argemon differt à leucomate, hoc est albugine. Ait Paulus : Argemon ulcus est ejus orbis, qui vocatur iris (id est) arcus cœlestis in oculo, extra rubens, intra candidum : albugo cicatrix est oculorum altiuscula, sicuti in summo nubecula.

Utinam Avicenna tam bene albuginem ab argemo distinxisset; nam ex diffinitione albuginis, quam tertio canonis idem Avicenna affert, quomodo albugo ab argemo differat, non apparet; nisi Plinii patronus ita hanc differentiam ex Avicennæ verbis manifestet, quemadmodum ego tam ex Hermolai scriptis Paulum alleganris aperui : quod si fecerit, hanc evidentem ipsius in Hermolaum calumniam æquiori animo tolerabimus.

Sed jam video me in enarrandis, vel Plinii patroni, atque aliorum Medicorum erratis, longius quam proposueram fuisse evagatum, quamvis neque per singula capita Pliniani codicis aut anatomices ejus patroni discurrentem, sed tantùm illa notantem quæ in nostri, aut Hermolai defensiones incurrebant, adeo ut quam ab initio ludum putaram de Plinii erroribus disputationem, videam esse factam utilem quidem, sed pene odiosam contentionem : cui tamen primus Plinii patronus non parvam dedit occasionem, dum me Plinium in *æra* taxantem, non rationibus atque argumentis, quod æquo animo ferre potuissem, sed dicteriis atque conviciis, quantumvis illi antiquâ amicitiâ devinctum, in sua Plinianarum emendarionum præfatione, studet dehonestare. Nunc me sciolum atque obgarrientem in Auctorem tot antea sæculis celebratum, nunc larvas ad pugnam irritam evocantem, nunc indoctum atque ineruditum, cui Plinius

non ſapiat, nunc parum pudentem & licentioſum appellans calumniatorem, & pleraque alia in me præcipue dictitans, quæ etiam Socratem omnium patientiſſimum injuriarum, potuiſſent ad iram provocare. Me ſanè licet non minus moralem, quùm etiam alias profitear philoſophias, ita irritarunt ut, vel mea natura repugnante, coactus fuerim par pari referre, & ea ſcribere quæ vel amicum qui me prius momorderat, remorderent. Quem, tu Franciſce Totte, admonebis, futurus quidam inter nos veluti caduceator, ſicuti primus pugnæ dediſti teſſeram, tu, inquam, Plinii patronum admonebis atque exhortaberis, ut ſi Plinii Manibus vult afferre gaudia, non mærores, hanc de Plinii erroribus diſputationem in poſterum ſinat eſſe ſopitam, aut ſi tam omnino renovandam duxerit, modeſtius illam quam incohaverit, peragat, atque ita pertractet, ut debet inter amicos de nulla re alia magis quam de veritate contendentes, pertractari. Neque enim ego odi mihi contradicentes, ſed potius maledicentes, vel eo maximè quod me incitant, id quod nolim (ſi poſſim) libenter facere ad maledicendum; nam & mihi nuper movere ſtomachum Grammatiſtæ quidam, qui vix ultra primas progreſſi litteras, audent etiam de altioribus ſtudiis judicare. Sed garriant ipſi quantum velint, eorum garritibus meæ poſthac aures obſtruentur, ne hac ætate, cum illis de grammaticæ regulis diſputando, videar quodammodo repuerаſcere. Siqui vero, in his quæ ad medicinam, aut univerſam attinent philoſophiam in quibus latiſſimos obtuli campos, contrà me volentibus dimicare, non adeo pro Plinio, quam etiam Avicenna, atque aliis Medicis ſectatoribus Avicennæ, qui à me in hoc opere fuêre notati, glorioſum voluerint ſubire certamen; parati ſumus eâdem quam ab ipſis deſideramus, modeſtiâ reſpondere, vel noſtros errores, ſi nos, ac non illos erraſſe demonſtraverint, retractaturi; vel aliorum magis, ac magis, ſi debiliter defenſi fuerint confirmaturi, atque inſuper alios quamplures, id quod nuper in Plinium fecimus, accervaturi.

LETTRE DE FRANÇOIS TOTTUS A LEONICENUS VINCENTINUS.

Francifcus Tottus Lucenfis Nicolao Leoniceno. S. P. D.

DECREVERAM jam à primis ftudiorum meorum annis, cum medendi fcienriæ dare operàm ftatuiffem, eum mihi præceprorem deligere, qui & ingenio ac doctrina cæteros anrecellerer : quare cum virturis ea rario fit, ut latere non poffir in renebris, hominefque, vel maximè infimæ condirionis, in lucem proferat & extollar, factum eft ur re mihi poriffimum præceprorem optarem; qui eruditiffimi cujufque judicio, unus es qui hac tempeftate in toro terrarum orbe, præcipuum medicinæ decus, & parens optimus, jure optimo habearis. Quamobrem eo animo Ferrariam, vel te uno profeffore per ea rempora illuftrem acceffi, ut te unicum haberem, cui me totum traderem, cujufque difciplinâ fperarem me omnia quæ vellem affecururum. Nec illa quam de te conceperam fpes ulla ex parre me fruftrata eft; nam quæ de te abfens conftanri acceperam fama, ea longe majora res ipfa confirmavir. Dum enim liberalibus ftudiis & arti medicæ fub te incumbo, nihil confuerudine tua fuavius, nihil ingenio præftanrius, nihil doctrina tua uberius animadverti, quam quidem morum inregriras infitaque humaniras mirum in modum exornat. Accedit ad hæc quod his temporibus, nihil eft in dicendo acutius, te uno nihil in refpondendo cerrius, nihil denique in eruendis, vel Philofophorum, vel Medicorum veterum fenfibus fublimius, aur in Confulendo ægrotis falubrius inveniri, aur excogirari poteft. Sed hæc omirto multis in locis abs te declarata, quibus multorum nobilium & aliorum præclariffimorum Princi-

pum habes conciliatam gratiam, præsertim ne quispiam fortasse putet me hæc auribus tuis dare, qui semper ab omni adulatione abhorruerim, quamvis officii mei esse judicem, ut pro meo in te summo studio & observantia, maximarum tuarum virtutum laudator sim. Illud non reticebo me abs te pro tua incredibili ac prope divina quadam benignitate ac munificentia in tuorum numero ita repositum, meque adeo tibi perpetuo devinctum, ut observantia & amore in te paucis admodum sim concessurus. Quare non dubitavi studio in me tuo ac benevolentia fretus, nonnullas Plinianas ambiguitates, ex te quærere; quippeque hujusmodi lectionis studiosum supra omnes homines admirari soleam. Tu vero mira celeritate non solum ad quæsita benigne ac præclare respondisti, verum etiam alios errores, tum Plinii, tum aliorum Medicorum, & veterum, & recentiorum maxima solertia abs te nuper excogitatos, Epistolæ tuæ, vel potius opusculo inseruisti, non spe quæstus, non cupiditate, sed amore non vulgari in humanum genus adductus, ubi non minus laudis ac famæ te assecuturum spero, atque superiori anno feceris, cum de tribus doctrinis ordinaris opusculum, & Galeni de præcipua arte libellum, abs te Latinum factum edideris. Quo tempore superasti tu quidem opinionem eruditorum omnium de te conceptam, quamvis jampridem egregie de te sentirent, tum ob alia quamplurima, tum maximè ob libellum cui tu nomen de morbo gallico indidisti, in quo (ut ingenue tecum agam, quemadmodum natura mea postulat) difficillimam cuique doctissimo æmulationem proposuisti. Ostendis ob hoc præstantiam ingenii tui ac summæ doctrinæ ubertatem, ut pote qui viris illis quos multos veluti clarissima lumina antiqua ætas tulit jure optimo conferri possis, Galeno præsertim Medicorum principi, qui & ipse quoque aliorum errata impugnare, ac penitus debellarè semper fuit solitus. Recte quidem igitur ac niveo cujusque calculo fecisti (quemadmodum divinatione quadam animi mei ductus fore existimabam) cum tu qui rei Medicæ ætate nostra mirus artifex & magister sis, his omnibus audacius respondetis, quæ nimis accuratus Plinii defensor,

defenſor, aut tibi viro doctiſſimo diſſimulanter impingeret, aut Hermolaum Barbarum, virum & tibi amiciſſimum, & de re litteraria optime meritum, nimis acriter, neſcio an dicam, & audacter, accuſaret : at ille eſt veniâ profecto dignus. Non enim fortaſſis animadverterat tantum, & Hermolao, & tibi à doctiſſimis viris tributum eſſe, ut vel ſola auctoritate (quod de Pythagora Cicero traditum ſcripſit) cæteri contenti eſſe deberent, ne dum cum reſponſurum ſe ad illa ſperare poſſet. Lætor igitur mirum in modum, cum id tibi plane honorificum ſit, teque cum gratioſum multis, tum chariorem efficiat. Laudi etiam tuæ vehementer gratulor, quam apud omnes ob hoc es adeptus ampliſſimam. Sed longe ampliorem ac ſolidiorem aſſequeris, nomenque tuum immortalitati commendabis, ſi quemadmodum jam omnibus perſuaſum eſt, ab omni caligine & obſcuritate Medicinam vindicabis. Quam quidem opinionem ne fallas, rogo, tanta doctrina tantoque ingenio ornatus; cujus unius opera, & auxilio peſtifera barbarie nos liberatum iri abſque dubio ſperamus, cum tu omnia Galeni opera in Latinam linguam verteris. Hoc ſane eſt quid humano generi maxime fructuoſum, Baptiſta Ægnatius mecum non parum exoptat, cujus morum elegantia præclaraque eruditio, tum Græca, tum Latina ad ſe amandum quoſque facile poſſet allicere. Hoc Ludovicus Bonatiolus, hoc Cæſar optatus, hoc Hieronymus Menochius, & Laurentius Bertholinus noſter, Medici profecto clariſſimi, avidiſſime cupiunt. Ad hoc cætera præclara Medicorum omnium ingenia te exhortantur, hoc, inquam, hoc illud eſt, quod omnes litterarum ſtudioſi, & efflagitant potiſſimum, & expectant. Quorum omnium expectationem diutiùs retardandam nequaquam cenſeo, ut non parum pro tali ac tanto beneficio, & nos ac etiam poſteri ſe tibi quam maxime obſtrictos eſſe fateamur. Vale, meque ſcias pro tuo in me animo ſingulari ſemper præſto fore, in quo tibi vel rè, vel opera uſui eſſe valeam.

Venetiis, Idibus Martiis. M. D. IX.

LETTRE DE JEROME MENOKHIUS
A LEONICENUS VINCENTINUS.

Hieronymus Menochius Lucensis Medicus, Nicolao Leoniceno Philosopho, Medicoque summo. S. D.

CUM multa sint, eruditissime vir, quæ homines ad diligendum alliciant, virtus præcipue inter ea vim maximam obtinere videtur. Cum igitur superioribus diebus tuam interpretationem curativæ artis Galeni, à Constantio Pistoriensi Cancellario mihi concessam diligenter perlegerim, nonnulla etiam tua de dipsade scripta, aliqua etiam in Pistorium quemdam, à Francisco Totto Lucensi, communi amico hîc viderim, ad te amandum supra modum adductus sum, & si prius, semel tantum istîc te de morbo quem *Gallicum* appellant affatus, tuam præstantiam diligere cœperam. In his sane tuis scriptis multa reperi, quæ mihi cordi fuere, sed præcipue unum de cane rabido, de quo olim in domo Aldi Romani Venetiis, coram Nicolao Zoccha, Veneto Medico, verba feceram multa, quoniam Dioscoridem Græce legeram, multosque alios juniores, Latinos talem gravissimum morbum ejusque curationem ex arte ponentes, experientia etiam cum Aristotelis verbis pugnabat, nec mihi licere arbitrabar in tantum Philosophum invehi. Quapropter tibi gratias ago ingentes, habeoque, quia gravissimum è mente mea scrupulum ademisti. Tua vero dipsas mihi immensam sitim (ut ejus morsus est) incussit, legendi aliquid ex tua officina prodiens. Hortor itaque ut, quoad per tuas occupationes licet, Galeni reliqua volumina interpretanda aggrediare, vel si aggressus es, jam edere festines. Quid enim mendosius ejus Latinis libris circum-

fertur ? quidve magis tetrum? Adeo enim ejus libri depravati, ut quivis vel mediocriter eruditus, Latine eos legere aspernetur, & quanquam eorum lectioni multum insudet, ex ea tamen nullum sæpe interdum pravum sensum elicere possit, cum Græca librorum Galeni lectione nihil sit elegantius. Enitere igitur eum à Barbaris vindicare; solus enim potes. Quod si facere dedignatus fueris, vereor ne, ut Barbari, Turchæ scilicet, magnam partem Græciæ diripuere tenentque, sic Barbari nostri temporis Medici suis interpretatiunculis Galenum funditus pessumdent, lanientque. Libera igitur à tali calamitate tantum virum; quod si feceris, Deo primum rem gratam facies, deinde hominibus viventibus, futurisque salutare quoddam, communeque remedium excogitabis. Nosti enim probe quot errata, quantique momenti in hac Medica arte quotidie perpetrentur : sed de his alias. Ego siquid hîc tuæ excellentiæ causâ agere possum, meam operam, domum, meque ipsum totum tibi offero, neve etiam sine magna mea utilitate à te responsum expectem, rogo ut mihi declarare per litteras digneris, sub quo capite apud Dioscoridem Græce continetur id quod nos cassiam fistulam appellamus, quomodoque ab eo vocetur. Item à tua excellentia intelligere optarem, ubi idem Dioscorides agat de manna, & quid sit apud ipsum Μαννα βάνυ, item quid ixias. Me enim non pudet, nec unquam puduit, & si pauca sciam, quæ ignoro, ab aliquo docto viro, qualem te dudum novi, aliquando discere. Nec me avaritiæ accuses, velim, quia tecum inire amicitiam, vel potius confirmare, cum non parva mea utilitate, decrevi. Talem enim te esse apud me prædicavit Franciscus Tottus meus, immo tuus, ut libenter quemvis, vel ignotum, erudias. Turpe insuper putabam ab uberrimo fonte limpidissimæ aquæ me sitientem discedere, cum præsertim à tua dipsade ictus, eum dudum optaverim. Valeat tua excellentia, cui me plurimum commendo.

Quinto Calendas Decembres. M. D. III.

REPONSE DE LEONICENUS VINCENTINUS

A JEROME MENOKHIUS.

Nicolaus Leonicenus Hieronymo Menochio Lucensi Philosopho, ac Medico præstantissimo. S. D.

QUAM mihi nuper reddidit Franciscus Tottus Lucensis, communis amicus, Epistola disertissima plane mihi indicavit, te non esse ex numero illorum qui barbaram philosophiam ac medicinam profitentur. Alioquin non tam eleganter scriberes, neque tantopere nostras translationes, aut nostra scripta, quibus præcipue barbaros Auctores vellicamus, comprobares. Equidem, hac tua Epistola lecta, cœpi de sæculo nostro bene sperare, cum videam me tales habere viros, idem mecum de tota philosophia & medicinæ arte sentientes. Qualis tu unus es, & alter Constantius noster Pistoriensis, vel quidam alii, exigui sanè numero, sed bello vivida virtus, quibus si non potero, id quod tu maximè optas, & ut facere prosequar exhortaris, ob ætatem jam ingravescentem adimplere, juvabit saltem lucernam prætulisse, atque iter aperuisse, quo possit tetra ista barbaries quæ pridem omnes bonas artes occupavit explodi, seu funditus profligari. Quare tuum, ac cæterorum quos recta studia delectant, erit officium, ut quod ego unus non possum efficere, mecum simul facere studeatis, & quam sibi laudem quidam Litteratores dudum usurparunt vindicatæ Italiæ à Barbaris, multo justius nobis ascischamus, qui non sermonem Latium recuperamus, sed omnes plane homines à mortis periculo eripimus, dum expulsis sæculi nostri tenebris, veterem medicinam in lucem revocamus. Hoc sanè mihi videtur vere philosophari, non de vocabulis, sed de rebus ad ho-

minum salutem plurimum necessariis, cum Barbaris decertare. Loquantur ipsi, ut velint, & viperam *tirum*, vel quovis alio vocabulo nuncupent, modo quis serpens sit tirus, qui ad theriaces compositionem recipi debet, non ignorent. Qua sanè inscitia, & Albertum cognomento Magnum, & Avicenna quoque cui medicinæ principatum tribuit hæc ætas, in dipsade nostra laborasse demonstravimus. Quæ si tibi tantam sitim induxit (ut scribis), jure tuo poteras, ut ab ea serpente, morsi uno oris hiatu, nostri fontis aquas exhaurire. Cur enim tam pauca in tuæ Epistolæ calce petiisti? cur etiam tuas quæstiones partitus es, nonnullas Epistolæ, nonnullas Chirographo committendo? An quia verebaris ne nimium avaræ amicitiæ nostræ primordiis, vel confirmatione potius abuteris? an quia id quod est, suspicabaris? Non fontem apud nos, sed rivulum tantùm scaturire, quem facile possit immodicus potus exsiccare. Conabor tamen pro tempore in his quæ ex me scire concupiscis, tuo honestissimo desiderio satisfacere. Forte illud aliquando uberius impleturus, si tibi contigerit mecum vagari in tuæ Patriæ montibus, quos ad hunc ipsum finem visere institui, ut possim herbas in ipsis nascentes tam salutares, quam etiam noxias, contemplari. Neque enim me latet Tusciam esse & medicaminum ac venenorum quoque feracissimam, hoc idem Theophrasto libri de Historia Plantarum 9 volumine, & Eschyli auctoritate confirmante, hoc dudum fuisse mei animi institutum testem facio Franciscum Tottum, cui ob morum integritatem & doctrinæ præstantiam, soleo omnes meos cogitatus aperire, ob idem meæ mentis propositum; neque illa quæ tu mihi tua humanissima Epistola offers, omnio respuo. Forte illis, si ita necessitas tulerit, usurus ad id opus, quod etiam tibi spero placiturum, qui non es in ea hæresi (ut arbitror) in qua omnes ferè Medici juniores versantur, hanc herbarum & aliorum simplicium medicamentorum indagationem, non ad Medicos, sed ad Seplasiaros, seu Pharmacopolas pertinere, opinantes. Quod si sensisset Hippocrates, ille primus medicinæ parens, & qui illi successere Medici veteres, non juvisset eos ire per solitudines,

& quærere herbas alias, aliis diebus anni, sed (ut ætate nostra fit) sedissent in scholis, potius de rebus nullius ad vitam momenti disserentes, & fata hominum, non sua, sed aliena fiducia gubernantes.

De cassia fistula.

Verum ne imirari videamut illam, quam præcipue damnamus, garrulitatem, jam ad illa veniamus quæ à nobis in tuæ Epistolæ calce quæsisti. Quorum primum est, sub quo capite contineatur cassia fistula apud Dioscoridem, & quod ejusdem quæstionis est, sub quo capite, etiam manna, qua æque atque cassia fistula Medici juniores ad molliendam alvum utuntur. Quare ad urramque respondeo Auctores Græcos (de Veteribus loquor) de neutra facere specialem mentionem, vel quia ipsas non noverunt, vel forte in usu medicinæ non probaverunt. Siquidem Galenus similem cassiæ fistulæ fructum, quod à Græcis *ceratia*, ab Arabibus, corrupto (ut puto) vocabulo, *carnubium* nominatur, omnino improbat, adeo ut libro 11, de alimentis, opter, vel melius esse opinetur, quod nunquam ad suæ gentis homines ex locis in quibus nascitur, deferatur. Quorum occasione verborum mihi subit admirari, quomodo Avicenna, qui se Galeni fatetur intetpretem, illum tamen perperam alleget dicentem, quod hic fructus non defertur ad alias regiones. Frustra enim Galenus optasset, ne deferretur ad suos, si ad alias regiones ex solo in quo gignitur, non defetebatur. Dixi autem ceratia esse similem cassiæ fistulæ fructum, quoniam & color corticis idem, & medulla etiam dulcis, sicuti cassiæ fistulæ, & præterea similibus seminibus eadem medulla distinguitur, ut non solum sensus, sed etiam Serapionis probat auctoritas, qui capite de cassia fistula inquit, quod intra cannas cassiæ sunt laminæ ex carne nigra, & parietes dividentes inter eas, & inret laminam & laminam sunt grana, sicuti grana xylocaractæ) & ejusdem magnitudinis, quorum colot est inter glaucedinem & rubotem. Pet xylocaracta autem debemus intelligere fructum quem Græci, tum etiam xylocaracta nominant,

Latini ſiliquam dulcem, Arabes autem (ut antea diximus) carnubium. Sed & eadem eſt ſiliqua dulcis, quæ etiam caſſiæ fiſtulæ proprietas; nam utriuſque medulla, cum recens eſt, laxat ventrem, cum vero exſiccata, potius contrahit. Quod de ſiliqua dulci Dioſcorides, Galenus, & Paulus, ac Plinius quoque teſtatur apud nos; de caſſia fiſtula autem conſtat Medicorum experientiâ. Hîc tamen Medicos juniores commonefacere oportet, etiam in libris Græcorum, ſicuti Dioſcoridis atque Galeni, de caſſia fiſtula legi, ſed non de illa de qua tu quæris, quæ vim habet alvum molliendi, atque ideo à quibuſdam recentioribus ſiliqua pharmaceutica nominatur; ſed de quadam ſpecie caſſiæ ligneæ quæ σύριγξ, id eſt fiſtula, ab eiſdem Græcis nominatur. Quapropter diligentius advertendum ne, cum in libris Græcorum caſſiam fiſtulam ſcriptum invenimus, alteram putemus intelligi, de qua Arabes auctores loquuntur. Quo quidem in errore ſcio pleroſque Medicos recentiores frequenter implicari, qui cortice caſſiæ fiſtulæ Arabicæ medicinæ ad citanda menſtrua utuntur, cum caſſiam ligneam potius ad eundem uſum debeant recipere, ex Dioſcoridis & aliorum Medicorum Græcorum auctoritate, qui alteram caſſiam fiſtulam videntur neglexiſſe, ſicuti & alios arborum fructus, quos auctores Arabes, & Medici juniores, illos ſequentes, in frequenti uſu habeant, omnino deſpexerunt.

Jujubas quidam Arabes auctores, Serapio præſertim, ad multos uſus Medicinæ commendant. Unde & Medici juniores aquam in qua decoctæ ſunt jujubæ, calida & tenui pituita laborantibus, id potandum exhibent. Galenus tamen, libro ſecundo de alimentis, capite de ſericis, id eſt zinzifis, vel jujubis, ingenue fatetur ſe non habere aliquid de ipſis teſtificari ad ſanitatis conſervationem, aut ægritudinum curationem. Sunt enim (ut inquit) cibus mulierum & puerorum effrenatorum, paucique alimenti, & indigeſtibiles, ſimul cum hoc quod neque euſtomachum eſt alimentum, palam, quod & ipſum dant paucum corpori. Quid tritius eſt ſermone Medicorum, quam ſebeſten, vel

eclegma, five (ut vocabulis ufitatis apud juniores Medicos utamur (electuarium de febeste ? De hac tamen tam famofa apud Arabes ac juniores Medicos medicina, neque Diofcorides, neque Galenus quicquam commeminerunt : Paulus vero utroque ætate pofterior, hoc tantum de mixa dixit, quod eft fructus arboris minor quidem prunis, viribus autem fimilis. Mixam autem effe fructum quem Arabes febeften nominant, minime dubitamus; quod & fenfus ipfe, Pauli verbis idem confirmantibus, probat : eft enim, ut ille inquit, mixa pruno quidem fimilis fructus, fed minor eo. Plinius quoque libro 13 de Naturali Hiftotia, capite fcilicet de Syriæ arboribus, de ptunis in Damafco monte natis, & mixis una loquitur, & ait uttumque fructum, jam effe familiatem Italiæ. Fotte autem hoc ftudium noftrum facturum eft fcientiæ medicinæ utilitatem, fi res illas quas folent Medici recentiores barbaris tantum nominibus enunciare, & non nifi à Barbaris mendicare, jam Latinis, aut Græcis vocabulis indicavero, & poffe etiam in Italia inveniri demonftravero. Dudum enim *tiris* prætii auctoritatem ademimus, alios effe in Italia ferpentes, multo quam *tiri* Ægyptii ad theriaces compofitionem, utiliores oftendentes ; factique jam fumus illis odiofi qui non vera remedia, fed nomina magis venditant. Verum hæc tibi, & tui fimilibus fcribimus, qui ex arte medicinæ non adeo quæftum, quam falutem hominum quærunt, & in Italia ægrotantibus malunt Latine, quam Arabice Medicati.

De manna.

De manna, de qua etiam quæris, quid fit apud Diofcoridem ; fi Simonis Genuenfis ptobarem fententiam, qui in littera M. capite de melle, ait antiquos Græcorum non habuiffe zuchari notitiam, quo nos utimur in variis compofitionibus, dicetem quod ille loco allegato in fuis verbis infinuat, mammam apud Diofcoridem effe faccharum, ab eodem Diofcoride, id eft capite de melle, nominatum. Verum ego aliter fentio faccharum apud ipfum, ficut etiam

etiam apud Galenum esse id quod nos vulgo zucharum nominamus, & Græcos veteres de saccharo, sive zucharo quidem, specialiter quamdam speciem mellis esse dixerunt. De manna autem generatim tantummodo, non autem speciatim fuisse locutos, licet Mesues falsò Galenum tribus in locis alleget de manna loquentem, scilicet capite de manna, & capite de scamonea, & capite de confectione mannæ, ex inventione Galeni; manna enim apud Græcos Auctores, non est medicina molliens ventrem, sed potius astringens, & frequentius manna thuris, quàm manna simpliciter nuncupatur; nam (ut inquit Galenus, lib. 13 artis curativæ) ea quæ manna vocatur, est concussio thuris quæ parvam quamdam vim astringendi participat, atque ob id ad quædam melior est ipso thure. Hoc enim vim solam suppurandi habet, & quod minime stipticum existit, maximèque illud quod pinguius est, & colore albius, quemadmodum quod hoc flavius est, magis exsiccat. Illi autem quæ manna vocatur, parum quoddam ex cortice thuris admixtum est, à quo vim stipticam habet. In eandem sententiam scribit Plinius, lib. 12 de Naturali Historia, cap. 15, de thuris natura & generibus ejus inscripto: hæc enim sunt ejus verba: Micas concussu elisas mannam vocamus. Quanquam vitio codicis, non mannam, sed mammam legatur, ut jam obiter sit tuæ tertiæ quæstioni satisfactum, quid sit manna thuris apud Dioscoridem. Supra autem dixi Auctores Græcos de manna cassiæ fistulæ compari medicina, etsi non speciatim, saltem generatim scribere, quoniam potest hæc manna ventrem solvens, ad caput de melle apud eosdem Græcos Auctores referri, sicuti etiam saccharum quod species mellis, tum à Dioscoride, tum etiam à Galeno ponitur. Hæc enim sunt Dioscoridis de saccharo verba: Vocatur autem quoddam etiam saccharum, species mellis existens, quod in India concrescit, & in Arabia felici invenitur in calamis, simile secundum substantiam sali, & sub dentibus instar salis confringitur, licet Simon Genuensis (ut supra notavimus) saccharum hoc, de quo Dioscorides, non zucharum nobis dictum, sed quamdam mannæ speciem esse putaverit, ut hac una tantùm

ratione Mesues possit excusari, Galenum allegans de manna scribentem : Si per mannam saccharum intelligit, quod Dioscorides atque Galenus speciem mellis arbitrantur. Manna enim de qua Arabes Auctores specialius loquuntur, parum differre à zucharo & melle, patet auctoritate, tum Serapionis, tum etiam Avicennæ, quorum alter tereniabim, quæ est species mannæ, mel roris appellat; alter vero suacharum haoscer, mannæ speciem esse dicit; neque obstat quod mel ferè ubique nascatur, & sit apum opus, manna autem paucis in locis, & sit naturæ tantùm munus; quoniam si hæc ratio valeat ad probandum mannam non debere ad caput de melle reduci, etiam de sacchæro probaret, quod tempore Dioscoridis, sicuti ex verbis hujus Auctoris supra notatis apparet, in India tantùm & felici Arabia inveniebatur in calamis, & tamen inter species mellis, non solum à Dioscoride, sed etiam à Galeno connumeratur, qui duo Auctores eodem capite de utroque scripserunt, quanquam Avicenna videtur salem Indum (de quo Dioscorides) non solum à melle, sed etiam à zucharo distinxisse, siquidem 4 can. & zucharum taberzeth, & salem pariter Indum inter remedia nominant, quæ linguæ faciunt asperitatem, sed zucharum taberzeth, cum hæc asperitas ex viscositate provenit, salem autem Indum, cum ex siccitate; adeo ut appareat Avicennam salem Indum aliud esse à zucharo taberzeth, existimare. Per salem tamen Indum, & Avicennæ expositores, sicuti Gentilis & Herculanus, zucharum candi intelligunt, Verum hæc expositio verbis Avicennæ repugnat, quarto canonis, capite de asperitate linguæ febricitantium, inquientis salem qui asportatur ex India, esse in colore salis, & dulcedine mellis. Intelligit autem Avicenna, sicuti & Paulus, à quo Avicenna hoc remedium, hisdem ferè verbis, accepit de sale albo, qui pro condimento cibis admisceitur. Zucharum autem candi nominatum, non est colore album omnino, sed potius subluteum. Illud prætera quæri ab Avicenna & ejus expositoribus possit, cur zucharum taberzeth, ad asperitatem quæ ex viscositate provenit, habeat efficaciam; zucharum autem candi

ad alteram quæ fit ex ficcitate, cum zucharum taberzeth, eodem Avicenna auctore, 20 canone, vim habeat leniendi, quod de zucharo candi nulla conftat auctoritate aut ratione, nifi per zucharum candi, rubrum intelligamus; quoniam fecundum Avicennam fuimenum & rubrum, vehementioris funt lenificationis : verum zucharum candi à zucharo rubro, etiam apud Medicos juniores diftinguitur. Forte autem hic error expofitorum falem Indum, zucharum candi interpretantium, non magni eft ad vitam momenti, quando & zucharum candi res factitia fit, cujus materia eft zucharum album. Illud potius eft inveftigatione dignum, nunquid zucharum candi debeat febricitantibus ad fitim fedandam exhiberi, in ore retinendum, ut plerique Medici noftro tempore faciunt, & Montagnana in quodam commento innuit faciendum, qui ait zucharum candi à viris illuftribus falem Conftantinopolitanum nominari, & colligendum effe ait, prima quarti, de cura fitis in febribus. Quod tamen nulla fpecies zuchari competat ad fitim extinguendam, nifi forte zucharum haofcer, quod eft quædam fpecies mannæ, patet auctoritate Avicennæ qui fecundo canone fcribit hæc verba de zucharo haofcer: Et non facit fitim, ficuti reliquæ fpecies zuchari, quoniam ejus dulcedo eft præcipua, & eft bonum ftomacho & hepati. Ex quibus verbis duo colligere poffumus, zucharum haofcer quod eft manna cadens fuper alufar, & eft ficuti frufta falis, tum zucharum, tum etiam mannam nominari, & reliquas fpecies zuchari facere fua nimia dulcedine fitim, excepta illa quæ zucharum haofcer nuncupatur. Quare cum zucharum candi fit modus zuchari diverfus à zucharo haofcer, non videtur ullam ad fitim extinguendam habere efficaciam; etfi verum fateri velimus, male Avicenna à Montagnanâ allegatur, prima quarti capitis de cura fitis in febribus. In eo enim capite nulla verba funt ex quibus aliquid de zucharo candi poffimus colligere, quod fit inter alia remedia ad fitis extinctionem patientia, ab Avicenna nominatum.

De ixia veneno.

De ixia autem, de quo & in epiſtola quæris, quid ſit apud Dioſcoridem, &, in chirographo, quid apud Avicennam & Medicos juniores, non facile eſt reſpondere, propter nominis, non ſolum apud Græcos, ſed etiam apud Arabes ambiguitatem; nam & chamæleon albus & niger, ixias à Græcis nuncupatur, & præterea quoddam veneni genus, quod non modo ixias, ſed etiam ulophonos cognominatur; quanquam & hæc cognominatio etiam radici chamæleontis nigri, quæ & ipſa venenum eſt, ab eiſdem Græcis tribuatur. De utraque autem radice, ſcilicet & chamæleontis nigri, & ixia veneno, agit Paulus in tractatione venenorum. Dioſcorides vero in eadem tractatione, de ixia tantummodo, cujus etiam veneni, in libris ſuis de ſimplici medicina ſcriptis, ſæpiſſime meminit; nam capite de abſinthio inquit ipſum cum vino conferre ad ixiam & cicutam. Item capite de caſtoreo, ſive de teſtibus caſtoris, inquit eos bibi cum aceto contra pharmaca perniciosa, ſed peculiariter ixiam. De oxymelite etiam ſcribens quomodo paretur, poſtmodum inter alias utilitates, hanc quoque ſubjungit, quod juvat illos qui meconium, vel ixiam biberint. Item capite de tragorigano ait quod omnes ejus ſpecies contra ixiæ potum cum vino utiles ſunt, & pluribus aliis in locis quos nolumus, niſi quantum ad propoſitum noſtrum attinet, commemorare. De ixia veneno Dioſcorides loquitur: quare ſi quæris quid ſit ixias apud Dioſcoridem, libro 3, poſſum in præſenria reſpondere, eſſe proptii generis venenum, radicem, & ipſum, ut Plinius, ubi de venenis agit, teſtificatur; licet cujus plantæ ſit radix non explicet, tamen à radice chamæleontis nigri diverſam, quemadmodum ex eodem Paulo conſtat, qui duo capita, alterum de radice chamæleontis nigri, alterum de ixia, inrer venena facit, ut etiam paulo ante ſignificavimus. Hoc idem veneni genus animadverto Plinium ſæpiſſime in ſuis de Naturali Hiſtoria libris *viſcum* (neſcio an recte) nominaſſe, atque eadem

remedia contra viſcum ſcripſiſſe, quæ Dioſcorides contra ixiam venenum, de quibus paulo ante verba fecimus; nam libro 20, capite 17 de tragorigano, ita ſcribit : Tragoriganum ſimile eſt ſerpyllo ſylveſtri, urinam cit, tumores diſcutit, contra viſcum potum, viperæque ictum, efficaciſſimum. Item libro vigeſimo tertio, capite ſecundo, oxymel, inquit, Antiqui profuiſſe fatentur contra viſcum. Item libro vigeſimo ſeptimo, capite ſeptimo, his verbis utitur : Abſinthii genera plura ſunt, adverſantur viſco cicutæ cum vino. Libro pariter 32, capite tertio ita ſcribit : Teſtes caſtorum medentur poti contra venena, auxiliantur privatim contra viſcum ex aceto. Sed & idem Plinius libro 20, capite 13, ait rutam foliis tritis cum vino ſumptis valere contra aconitum, & maxime viſcum. Quo etiam remedio Dioſcorides utitur in libro de venenis contra potum ixiæ veneni. Itidem Plinius libro 24, capite 6, laudat reſinas tanquam viſco adverſantes. Dioſcorides in eodem libro contra ixiam venenum, reſinam abietinam præcipue commendat. Ex quibus omnibus, tum Plinii, tum etiam Dioſcoridis verbis invicem collatis, luce clarius apparet Plinium id veneni genus quod Græci ixiam vocant, *viſcum* (ut diximus) appellaſſe. Avicenna quoque quarto canonis de viſco, tanquam veneno, loquitur; & eadem ferè ſigna ſcribit atque remedia, quæ Dioſcorides in ixiæ veneni potione. Multi tamen Medici juniores hoc non animadvertentes putant tam Plinium, quam etiam Avicennam de viſco loqui, quo aves decipiuntur. Ego autem non video quomodo, aut Plinio, aut Avicennæ conveniat, viſcum aucupum inter venena connumerare. Plinius ſiquidem libro 16, cap. ultimo de variis viſci generibus accuratiſſime ſcribit; tantumque abeſt ut aliquid ipſorum dicat eſſe venenum, quod viſcum in robore arbore natum, certa tamen religione decerptum dicat, ſecundum Druidum opinionem, contra omnia venena eſſe remedio. Superſtitionum tamen eodem in loco Plinius improbat opinionem, non refellit, quod multo magis fuerat faciendum, ſi viſcum eſſe venenum exiſtimaſſet. Neque minus Avicenna 11 canone de viſco, tanquam ſalubri medicina, plurima

refert, nullam nobis dans, quod ſit venenum mortiferum, ſignificationem. Quare fateri oportet utrumque Auctorem, aut ſibi ipſis in variis locis repugnare, aut cum de viſco tanquam veneno loquuntur, abuti vocabulo, quoniam ixias pro veneno ſumptum non in viſcum, licet ſit nomen à viſco deductum, ſicuti enim chamæleon albus & niger, ideo ixias nominatur, quia in quibuſdam locis viſcum gignit ſub alis foliorum (ut inquit Plinius lib. 22, cap. 18); ut autem Dioſcorides, juxta radicem, ita ixias venenum, ut hoc nomine vocaretur, habuit à caſu qui ejus ſequitur poſitionem; nam ſicuti viſcum quæcumque illi adhæſerint, retinet, ita ixias venenum hauſtum contrahit omnes corporis ſuperfluitates; nos quidem ita Plinium per abuſionem vocabuli à contradictione vindicamus. Viderint autem Medici juniores quo pacto Avicennam tueantur, quem volunt 4 canone de viſco aucupum, inter alia venena fuiſſe locutum; nam quidam ipſorum qui ſatis prolixum tractatum de venenis ediderunt, Avicennam allegant talis viſci intus aſſumpti remedia ſcribentes, neque ſanè admodum foret admirandum, ita in hoc ixia Avicennam ſicuti in altero, ſcilicet in radice chamæleontis nigri (hunc enim & ipſum ixiam à Græcis, licet diſſimili ratione diximus nuncupari) nominis vicinitate fuiſſe deceptum. Sic enim quæ ixiæ veneni ſunt propria, ixo, id eſt viſco, tanquam veneno, quarto canone Avicenna tribuit, veluti quæ chamæleonti albo aut nigro conveniunt. Idem Avicenna alteri frutici adſcribit, quem Græci chamæleam, Arabes mezereon appellant. Eſt autem chamælea, non ſolum figura, ſed etiam viribus multum à chamæleonte albo, vel nigro diverſa, & chamælea quidem; ideo hoc nomen ſortita eſt apud Græcos, quia habet folia ſimilia olivæ. Chamæleon autem albus & niger (ut inquit Dioſcorides ſilibo, vel ſcolymo aſſimilatur. Qui vero in Creta inſula herbam adhuc à Græcis chamæleontem vocatam viderunt, teſtantur ipſam eſſe aculeatam, & ferre viſcum, ut de ipſa, tum Dioſcorides, tum etiam Plinius prodiderunt; quo viſco etiam inquiunt Cretas pennas ſagittis agglutinare. Aiunt præterea herbæ illi quam nos carlinam nominamus,

esse simillimam, quam quidam putant ideo carlinam à nostris nominari, quia fuerit Caroli Regis inventum. Ego potius carlinam una littera variata, pro cardina, dictam existimo, quoniam sit è genere carduorum, sive herbarum aculeatarum. Ideo autem chamæleon herba à Græcis nuncupata, hoc nomen apud ipsos obtinuit, quia mutat cum terra in qua gignitur colores, more chamæleontis animalis, quod & ipsum stabilem non habet colorem, sed quemcunque proxime attingit, admittit, præter rubrum & candidum. Quamvis autem in chamælea frutice, & chamæleonte herba aculeata, sit non modo nominum, sed etiam naturæ ratio diversa, Avicenna tamen atque Serapio, & omnes ferè Arabes, ambarum proprietates in uno capite confuderunt; quem quidem errorem, licet apud Serapionem manifeste deprehendere, capite de mezereon, id est chamælea, in quo scilicet mezereon describit, eodem modo quo Dioscorides chamæleam, & easdem mezereon, medicinæ tribuit proprietates, quas Dioscorides quem etiam Serapio allegat, capite chamæleæ; sed paulo post, eodem capite, etiam Paulum Serapio adducit de mezereone albo & nigro loquentem. Nigrum tamen & album, non sunt mezereonis, id est chamæleæ fruticis differentiæ, sed chamæleontis herbæ aculeatæ, cujus duo genera, alterum albi, alterum nigri discrimine, non modo à Dioscoride, sed etiam à Plinio distinguitur, immò ab ipso etiam Serapione, qui postea alio in loco, & capite diverso, de chamæleonte albo & nigro, eadem ferè scribit, quæ de ambobus Dioscorides; neque meminit se, de eisdem herbis, capite de mezereon, fecisse mentionem. Avicenna pariter id quod ipse aliis solet objicere, caput in canone posuit; nam undecimo canonis, & chamæleæ, & chamæleontis albi, & nigri proprietates, capite uno de mezereon inscripto complectitur, cujus plures facit species, cum tamen chamælea quam Arabes proprie mezereon vocant, sit simplex species secundum Dioscoridem, Galenum, & Paulum, ac Plinium; qui omnes chamæleontem album & nigrum sui generis herbas fecerunt, à chamælea, id est mezereon frutice, differentes. Hunc eundem erro-

rem repetens Avicenna etiam 2 can. in littera K: Chamæleon (inquit) est species de mezereon, nigra, mortifera; eodem tamen lib. 2 Avicenna, de chamæleonte, tam albo, quam nigro, seorsum loquitur, & illas narrat proprietates utriusque, quas etiam capite de mezereon, id est chamælea, diversis ejus speciebus assignat Ait præterea eodem capite de mezereon, quod omnes species administrantur ad morfeam, & albaras, & lentigines linitæ exterius, & quandoque admiscetur sulfur, qui tamen medicinæ usus uni tantum chamæleonti nigro competit, ut non modo Dioscorides, sed etiam ipse Avicenna in littera K, capite de chamæleonte, testificatur. Subjungit etiam Avicenna quod omnes species ejusdem mezereon administrantur ad impetiginem, & ulcera sordida cum melle, & eradicant cortices. Hoc quoque dictum falsum est, sicuti prius, quia ista proprietas purgandi ulcera sordida, & quæ escaram habent, cum melle, non est chamæleontis albi, vel nigri, quos eo capite Avicenna falsò innuit esse species mezereon, sed chamæleæ tantùm, ut habetur ex Dioscoridis & Galeni pariter auctoritatibus. Hunc errorem continuans Avicenna etiam 4 can. accidentia, atque remedia, quæ chamæleontis nigri radici venenatæ, à Paulo assignantur, ipse ad mezereon, id est chamæleæ, subscribit. Et hoc est quod præcipuè probare intendebamus, eodem modo errasse Avicennam ixon, id est viscum, pro ixia veneno 4 can. inter venena numerando, sicuti eodem in libro pro chamæleonte nigro, mezereon, id est chamæleam, itidem nominum propinquitate deceptus accepit. Sed & sicuti Avicenna de mezereon in pluribus locis scribens, sibi ipsi non constat, quia aliquando facit chamæleontem album, & nigrum esse species mezereon, & de ipsis, una cum chamælea, eodem capite agit, aliquando seorsum de chamæleonte albo, & nigro pertractat, ita ixiam venenum, 4 can. ad diversa capita refert, alterum de visco de quo supra disseruimus, alterum de thephisia quam gummi rutæ montanæ interpretatur, hîc quoque multis sese erroribus implicans. Primus error est falsæ expositionis, qui etiam 11 can. invenitur, capite de thephisia, ubi thephisiam

phisiam pariter gummi rutæ sylvestris exponit; quem etiam errorem, ex parte secutus est in quodam commentario Montagnana in quo homini leproso consulit, & jubet applicari remedium ex serpente nigro factum, cum quo thephisia humida, id est recens conjungi deber. Thephisiam autem Montagnana exponens, ait quod est ruta sylvestris, quæ si desit, vice ejus sativam sive domesticam rutam apponi præcipit. Verum si Montagnana, capite de thephisia 2 can. cum capite de tapsia apud Dioscoridem contulisset, procul dubio intellexisset, hoc nomen thephisiam esse apud Avicennam depravatum, & pro tapsia scribi thephisiam; unde ex errore scripturæ etiam falsa expositio habuit originem. Ex eodem Dioscoride discere Montagnana potuisset, tapsiam alio nomine, non rutam sylvestrem, sed ferulam potius sylvestrem nominari. Secundus error est apud Avicennam, quia quos effectus Dioscorides, Paulusque, ixiæ veneno tribuunt, eosdem ipse thephisiæ; id est gummi rutæ agrestis attribuit, non animadvertens quod de eodem ixia veneno, capite de aldibe, id est visco, eodem in libro scilicet, 4 can. paulo post erat tractaturus; siquidem capite de thephisia scribit hæc verba: Hæc est gumma rutæ montanæ, & quandoque sentitur in sapore ejus sicuti sapor albedarogi, & est calida, & accidit illi qui bibit eam, retentio eorum omnium quæ currunt ex utrisque viis, & apostematur lingua, & accidunt rugitus, & inflatio. Quæ omnia signa etiam scribit Dioscorides, in his qui ixiam venenum biberint. Tertius error est, & quidem multo prioribus gravior, quoniam Avicenna ipse sibi ipsi in thephisia contradicit; nam 2 can. capite de thephisia scribit, quod in radice ejus, & corticibus ipsius, & lachryma ejus est solutio; 4 autem can. de eadem thephisia, id est gummi rutæ montanæ, inter venena tractans (ait) quod accidit ei qui bibit ipsam, retentio eorum omnium quæ currunt ex utrisque viis: quare, cum solutio, atque retentio superfluitatum, sint effectus contrarii, liquet illa quam in verbis Avicennæ notavimus contradictio. Hæc autem à nobis de thephisia obiter dicta sunt, partim ut ostenderemus quot nostri temporis medicina erroribus involva-

tur, Medicis junioribus Avicennam in illa Principem ftatuentibus, & multa quæ idem Avicenna fcripfit, fine ullo rationis examine, pro vero admittentibus, quemadmodum de Montagnana Medico fuo tempore illuftri, paulo ante fignificavimus; partim ut tibi una manifeftaremus id quod etiam ab initio infinuavimus, difficillimum effe quid fit ixias apud Avicennam & Medicos juniores illum fequentes, indicare; quandoquidem Avicenna in hoc veneno videtur ambiguus, modo vifcum, modo thephifiam, id eft gummi rutæ montanæ, ipfum appellans: unde & quidam recentiores de venenis tractantes, duo capita faciunt ad Avicennæ imitationem, alterum de aucupum vifco, quod venenum non eft, vel ut fit, non tamen ixias, de quo videtur Avicenna de vifco agere voluiffe, quandoquidem non modo eadem figna (licet non omnia in vifci notat potione) quæ Diofcorides in hauftu ixiæ veneni, fed etiam eadem ferè remedia contra ipfum fcribit; alterum de gummi rutæ fylveftris, five montanæ, quod gummi nufquam terrarum invenitur. Eft enim error, ut diximus, Avicennæ quem illi iidem, quos ftatim antea tetigimus Medici recentiores in fuis de venenis tractatibus animadvertentes, fatentur gummi rutæ agreftis, effe gummi tapfiæ. Verum ifti præter violentam expofitionem, quia tapfiam rutam agreftem nominari apud nullum Auctorem quem fciam, nifi apud Avicennam legitur, in alterum multo majorem incidunt errorem, in illam videlicet contradictionem quam nuper Avicennæ objectavimus. Gummi enim tapfiæ (ut inquit Diofcorides) purgat potenter fuperius & inferius; adeo ut, juxta eumdem Diofcoridem, dofis quæ drachmam unam excedit, fit periculofa. Gummi autem rutæ agreftis de quo quarto canone inter venena Avicenna agit, intus affumptum vim habet retinendi omnia quæ currunt ex utrifque viis, ut iifdem verbis Avicenna teftatur.

De turbit.

De turbit autem de quo in chirographo quæris, difficile eft etiam quo nomine apud Diofcoridem cenfeatur, determinare;

turbit enim est nomen barbatum. Barbari autem auctores de ipso varie loquuntur ; aliud siquidem de ipso scribit Serapio, aliud Mesues. Quare si à me petas quid sit apud Dioscoridem turbit à Serapione descriptum, possum tibi sine aliqua hæsitatione respondere, esse tripolium, licet hoc nomen apud Serapionem allegantem in eo Dioscoridem, sit depravatum ; namque de tripolio Dioscorides ac Plinius scripserunt, quod in maritimis nascitur locis, ubi allidit unda, neque in mari, neque in sicco, folio isatidis crassiore, palmeo caule in mucrone diviso, radice alba, odorata, calida gustu, &c. Hæc eadem Serapio de turbit scribit, quod caricamum vitiose, ut diximus, pro tripolio nominant, de quo vel codicis, vel Auctoris errore minus sit admirandum, quando & apud Plinium non tripolium, sed trifolium potius corrupte legitur, adeo ut Simon dubitaverit an sit idem caput de trifolio apud Plinium, & de tripolio apud Dioscoridem, & de turbit apud Serapionem. Pandectarius autem duo capita scripsit, alterum de tripolio, secundum Dioscoridem, alterum de turbit, secundum Serapionem ; quasi turbit apud Serapionem sit aliud à tripolio apud Dioscoridem : qui forte error Pandectarii, una cum Simonis dubitatione, inde etiam habuere occasionem, quoniam in Latino Dioscorides, cujus verba citat Pandectarius, scribitur trifolium habere folia similia apio ; cum Dioscorides tradat esse similia isatidi herbæ, hoc est illi quam vulgo *guadum* appellamus, quæ in usu tinctorum celeberrima est. Apud Serapionem autem hæc similitudo, neque ad apium, neque ad isatidem refertur, sed ad quamdam plantam quæ *arasatis* nominatur, quod verbum puto apud Arabes esse corruptum, & pro isatide, *arasatin* scribi, sicuti etiam apud Plinium non folio isatidis, sed folio satis crassiore, palmo itidem vitiose, scriptum invenitur. Qui quidem locus fuit à me pridem in libro de Plinii atque aliorum Medicorum erroribus castigatus. Si autem à me quæris quid sit *turbit*, quod describitur à Mesue, apud Dioscoridem, dicere oportebit *turbit* illud Mesue non esse tripolium apud Dioscoridem, sed radicem alicujus herbæ habentis succum

lacteum, acutum, ex genere tithimalorum, seu lacticiniorum (ut juniores Medici loquuntur) tale enim est turbit, quod describitur à Mesue, non habens folium simile isatidi, sed ferulæ potius. Hæc enim sunt ejus verba (ut nosti): Turbit est radix herbæ cujus folia sunt sicuti folia ferulæ, minora tamen, & est ex habentibus lac. Quocirca Actuarius, gravis apud Græcos auctoritatis Medicus, multum tamen Galeno, ac Paulo, ætate posterior, qui multas Arabum medicinas illorum nominibus memorat, inquit *turbit* à Barbaris vocitatum esse radicem plantæ quæ à Græcis *pitiusa* vocatur. In qua etiam opinione quidam alii Græci, præter Actuarium, fuisse videntur qui, capite de pitiusa apud Dioscoridem, ubi de radice fit mentio, verba illa interseruerunt, quæ non puto esse Dioscoridis, sed glossema potius ἣν καλοῦσιν τουρπὶτ, id est quam radicem, scilicet pitiusæ, vocant turbit. Sed contra hoc est, quod hæc eadem radix à Serapione, non turbit, sed *sebram*, id est esula, nuncupatur; quod palam fiet conferenti ea quæ Serapio de sebram ex Dioscoridis atque Galeni pariter scripsit auctoritate, omnibus his quæ iidem Græci Auctores de pitiusa prodiderunt. Quamvis Avicenna de capite sebram, aliud potius videatur describere, quam radicem pitiusæ, immo si verba Galeni lib. 8 de simplici medicina in pitiusa attendimus, & alia comparia 2 can. capite de *mezetegi* ab Avicenna scripto, liquido apparet, quod *mezetegi* apud Avicennam sit pitiusa apud Dioscoridem: itaque necessarium sit alterum duorum, vel sebram non esse esulam apud Avicennam (intelligendo per esulam radicem illius herbæ quam Græci pitiusam vocant), vel Avicennam duobus capitibus 2 canone de eadem radice fuisse locutum, scilicet capite de sebram, & capite de mezetegi. Eadem ejusdem medicinæ repetitio superflua est apud Serapionem; nam capite de tithimalo, ultimo loco nominat speciem tithimali quæ dicitur *ptia*; vult autem dicere pitiusa. Eadem enim de ea scribit, quæ de pitiusa Dioscorides; paulo infra aliud caput scribit de sebram, & in eodem allegat Dioscoridem, quasi sebram alia sit à pitiusa medicina. Sed neque illorum opinio est omittenda, qui putant turbit

esse radicem herbæ quam vulgo soldanam nominamus, passim in locis maritimis provenientem. Hanc tamen opinionem esse falsam, nos ita probamus : Soldana herba, vel ejus radix non est turbit à Serapione descriptum, quia illud turbit est tripolium apud Dioscoridem, & habet folia similia isatidi, ut nuper ostendimus. Soldana autem herba non est tripolium apud Dioscoridem, sed ad aliud caput refertur, ut mox ostendemus. Item soldana herba habet folia quadamtenus hederæ similia, vel aristolochiæ rotundæ; turbit autem à Serapione descriptum, sicuti etiam tripolium apud Dioscoridem, habet folia similia isatidi. Eadem ratione probatur soldanam herbam non esse turbit descriptum à Mesue, quoniam istud turbit habet folia similia ferulæ, ut etiam anteà dictum est; soldanæ aut folia sunt omnino à ferulæ foliis differentia. Simili argumento in libro de morbo Gallico contra Gentilem probavimus, soldanam herbam non esse cachilem apud Serapionem, quoniam cachile, secundum eundem Serapionem, habet folia nasturtii; quæ nullam præ se ferunt foliorum soldanæ similitudinem. Hîc autem uberioris doctrinæ gratiâ, super adjungimus auctores Arabes, soldanam herbam, neque ad caput de cachile, neque ad caput de turbit retulisse, sed Græcorum imitatione ad caput de caulibus. Est enim soldana herba vulgo à nobis dicta, illa quam Dioscorides atque Galenus brassicam marinam appellant; quod liquido apparebit, siquis invicem contulerit ea quæ in herba soldana oculis intuemur, & quæ de brassica marina Dioscorides scribit. In hac tamen herba mihi videntur auctores Arabes eatenus aberrasse, quatenus de caule domestico, atque sylvestri, ac subinde marino, eodem capite continuatim tractaverint, tanquam hæ omnes forent ejusdem generis proximioris species, quod de sylvestri quidem, atque domestico caule concedi posset, quoniam tantum sativi, atque sylvestris differentiis distant. De marino autem caule nequaquam, qui omnino ab aliis duobus diversificatur, ut non modo Dioscorides, sed etiam Galenus testificantur, quorum Auctorum sententia brassicà marina, & brassica sativa, vel etiam sylvestris æquivoce dicuntur.

Putasse autem Arabes caulem sativum, atque sylvestrem, ac præterea marinum quamdam habere inter se, non modo figuræ, sed etiam naturæ affinitatem, eo constat argumento quod omnes eodem (ut diximus) capite complectuntur; & præter hoc, etiam verba Serapionis idem ostendunt, qui de caulibus marinis ita scribit : Marini caules sunt longinquiores à similitudine domesticorum, quum scilicet sint caules agrestes. De illis enim statim antea locutus erat : Avicenna insuper tres hasce species, etiam effectuum communitate consociat, ut cum, 2 can. capite de caulibus scribit in hunc modum : Sylvestris, marinus, ac domesticus maturat flegmones & duritias, qui quidem effectus à Dioscoride cauli sativo, atque sylvestri ex parte assignatur; marino autem cauli à nemine adscribitur, & nulla experientia comprobatur. Verior autem est Græcorum opinio à nobis tacta, quod caulis agrestis, atque sativus tantum modo sint figura, colore, & naturæ proprietatibus similes, nisi quod agrestis est albior, & calidior, & siccior, sicuti omnes aliæ plantæ sylvestres sunt in eodem genere sativis, secundum has duas qualitates (ut inquit Galenus, fortiores : marina autem brassica penitus ab illis ambabus evariat. Hæc ideo in Arabicis auctoribus notanda censuimus, nequis putaret nos soldanam herbam, ut illi fecerunt, forte quid esset apud Dioscoridem atque Galenum brassica marina nescientes, inter brassicarum species connumerare.

Sed quoniam multa interseruimus, ut te pleniori officio demereremur, jam ad illud redeamus de quo præcipue ab initio quærebatur, quid sit *turbit* apud Dioscoridem. Forte autem in tanta, tum Arabum auctorum, tum etiam Latinorum, super hac medicina opinionum diversitate, melius quæreretur, quid sit apud Dioscoridem radix illa quam pro *turbit* Officinæ vendunt. Ego quidem diu multumque laboravi ut herbam virentem viderem, cujus radix turbit nuncupatur; nam qui radicem tantum aridam ad nos afferunt, neque ubi nascatur, neque quali folio, aut flore *turbit* insigniatur, sciunt dicere, nisi quod unus tantum Pharmacopola id mihi de flore *turbit* est testificatus, quod de folio tri-

polii scribit Dioscorides, quod videlicet mane candidus, meridie purpureus, vespere phœniceus appareat. Quod si mihi fuit vere relatum, procul dubio turbit quo nos utimur, est tripolium apud Dioscoridem; sed quoniam hoc de flore miraculum vix forte ipsi Dioscoridi credatur, nedum alicui Pharmacopolæ, omnino satagendum ut folium ipsum viride inspiciamus, & an sit folio isatidis, aut ferulæ simile, vel etiam neutro, diligentius consideremus. Fieri enim potest ut radix illla quâ utimur, neque sit turbit Mesue, neque etiam turbit Serapionis, tantam video in his rebus incuriam, quæ sunt in usu frequentissimo Medicorum. Siquis enim dixerit esse turbit Serapionis, illud objicere possumus, quod turbit apud Serapionem est idem quod tripolium apud Dioscoridem. Radix autem tripolii, secundum eundem Dioscoridem, odorata est; quâ vero nos utimur pro radice turbit, omnino caret odore. Si vero alter asserat hanc esse turbit descriptum à Mesue, cum sit illud turbit, secundum eundem Mesuem, ex genere habentium lac, seu lacticiniorum (hoc est) earum plantarum quæ habent lac maxime acutum, interrogabimus ipsum, quodnam tamdem erit ex his quæ à Dioscoride, vel Serapione describuntur; an aliqua species tithimalorum? sunt autem septem, vel 8, sed nulla earum esse potest turbit à Mesue descriptum; nulla siquidem ex illis habet folia similia ferulæ, qualia habet turbit à Mesue designatum, ut constat ex Dioscoride, & Serapione, singulas tithimalorum species per folia, ac flores, & reliquas proprietates describentibus. Sed neque lathiris est, quam juniores Medici *catapuciam minorem* vocant, Avicenna aut *mendanam*, ut constat ex iis qui de lathiri Dioscoridis & de mendana Avicennæ similia scripserunt; neque *peplios*, de qua Dioscorides agit inter alias quæ lac acutum emittunt. Hujus enim radix inutilis est, ut inquit Dioscorides, & de hac quoque Avicenna agit 2 can. sub nomine *bebilis*, capite diverso à capite de turbit: eadem ratione neque peplion (id est) portulaca sylvestris; nam hanc quoque Avicenna 2 can. *bilomon* nominat. Translatio autem librorum Hippocratis de regimine acutorum,

felicinium vocavit, & non radice, sed folio, vel fructu, ad usum medicinæ adhibetur. Habet etiam folia similia portulacæ, unde illi nomen, non autem ferulæ, sicuti turbit descriptum à Mesue. Denique per singulas species earum plantarum quæ succo lacteo & acuto manant discurrendo, non videtur cuiquam earum descriptio turbit, quæ apud Mesuem repetitur, convenire. Forte autem, neque vere scribitur à Mesue turbit esse è genere earum quæ lac habent; siquidem hic idem Auctor inquit mezereon esse plantam lacticiniorum majorem, quæ tamen planta ab Arabibus mezereon nominatur, eadem à Græcis chamælea vocatur, ut constat conferenti caput de chamælea apud Dioscoridem, cum capite de mezereon apud Serapionem, & etiam apud Avicennam, nisi quod Avicenna etiam ipse, licet sub nomine mezereon, chamæleam describat, quam constat non esse de numero lactariarum, sive lacticiniorum, inquit mezereon esse lacticinium magnum; ut videantur Arabes, Avicenna præsertim, ac Mesues capite de mezereon, in duplicem errorem incidisse; & quod mezereon, quæ à Græcis chamælea vocatur, inter lacticinia posuerunt, & quod chamæleontem album & nigrum cum chamælea, sive mezereon, confunderunt; nam Mesuem quoque non fuisse secundi hujus erroris expertem, probari potest ex his quas ipse mezereon in fine capitis tribuit proprietates, quas non chamæleæ, quam Arabes mezereon vocant, sed chamæleonti potius albo, vel nigro Dioscorides assignavit. Quæ enim de mezereon Mesues scribit, quod interficit lumbricos, & quod collutio ex aceto ejus confert dolori dentium, & quod fit unguentum ex eo ad scabiem bonum, & linimentum ex eo, & sulfure delet morfeam, albaras, & lentigines, sunt ferè proprietates quæ chamæleonti albo & nigro, non autem chamæleæ, id est mezereon, à Dioscoride tribuuntur. Serapio vero, etsi capite de mezereon similem fecerit confusionem chamæleontis, & chamæleæ, ut, cum de ixia verba faceremus, ostendimus, in eo tamen magis est, quam Mesues, Avicenna probandus, quod mezereon haudquaquam fecit ex genere lacticiniorum, & quod

quod

verum mezereon, hoc eſt chamæleam, agnoſcunt, ſciunt eam non habere lac. Dixi autem verum mezereon, quod à Græcis chamælea dicitur, quia apud nonnullos Arabes, Joannem ſcilicet Serapionem, veluti Simon annotavit, mezereon eſt mirdane, vel mendane, quæ autem mendane ab Avicenna vocatur, eſt lathiris apud Græcos, & catapucia minor apud Medicos juniores quam certum eſt non eſſe mezereon, neque ab Avicenna, neque à Serapione, neque etiam à Meſue deſignatum, ut ſatis conſtare ex variis deſcriptionibus arbitramur, & quia aliud caput de mendane, aliud de mezereon, Serapio atque Avicenna ſcripſerunt. Non ſolent autem auctores Arabes duo capita ſed unum tantum de eadem ſimplici medicina ſcribere, niſi forte, nominum varietate decepti, quæ una ſit, geminam eam crediderint. Quod de Avicenna ſupra dubitavimus, ne forte de eſula duobus capitibus egerit, & capite de ſebram, & altero de mezeregi, hunc liquido errorem in Serapione deprehendimus, qui capite de tithimalo loco, ultimo, nominat ſpeciem tithimali, quæ dicitur *ptias*, vult autem dicere pitiuſa, cujus radicem quidam eſſe *turbit* (ut ſupra oſtendimus) exiſtimaverunt. Et paulo infra aliud caput ſcribit de ſebram, in quo eaſdem tribuit ipſi proprietates quas pitiuſæ Dioſcorides, neque meminit ſe de eadem planta, etiam inter ſpecies tithimalorum fuiſſe locutum. Supra autem diximus, ut ad id propter quod hæc omnia ſubjunximus revertamur, turbit apud Serapionem eſſe tripolium apud Dioſcoridem, quod quidem Serapio, neque ipſe mezereon, ſicuti neque tripolium Dioſcorides lacticiniis annumeravit. Simon autem Genuenſis, in littera L, ubi de lacticiniis facit mentionem, etiam tripolium inter iſta collocavit. Quia enim Meſues ponit turbit inter lacticinia, turbit autem apud Serapionem eſt planta, quam Dioſcorides vocat tripolium, neſciens Simon hoc nomen turbit apud duos Auctores æquivoce dici, apud alterum de planta habente lac, & folio ferulæ ſimili, apud alterum de planta carente lacte, & folium iſatidi, id eſt guado ſimile gerente, propter verba Meſuæ de turbit, tripolium quoque inter lacticinia connumeravit. Vide quot diffi-

cultates, & quidem inexplicabiles, occurrunt Medicis junioribus, Arabum auctorum doctrinam sequentibus, ob eorumdem Auctorum non modo à Græcis, sed etiam à seipsis discordantiam. Quare nulla alia inter tot, quæ de simplicibus medicinis habentur ambiguitates reliquitur via, nisi ut ad sensum judicem confugiamus; & si plantam virentem habere possumus, cujus radix pro vero *turbit* affertur, nunquid sit ex genere lacticiniorum, vel alia, discutiamus.

De buglossa.

De buglossa autem de qua quæris, an ea qua pro buglossa utimur, sit vera buglossa, si tibi quod sentio respondero, vereor ne sicuti tu admodum docte dubitasti, ita ego nimium proterve videar universam nostri temporis medicinam evertere; nam si probare contendero buglossam, quam Medici juniores ad usum medicinæ adhibent, non esse veram buglossam, cur etiam, inquiet aliquis, lactucam qua vescimur, veram esse lactucam non inficiaris? Non ita scilicet sumus animati; absit enim à nobis tanta temeritas, ut omnia juniorum Medicorum placita velimus demoliri; sed sicuti multa eorum probanda censemus, ita plura sunt in quibus Auctores veteres magis sequendo judicamus, atque in illis præsertim in quibus iidem Medici juniores invicem videntur dissentire. De boragine Simon Genuensis, in littera B, ita scribit : Borago herba nota, cibo apta & medicinæ & flos, & folia, & semen, buglossa dicitur, species ejus sylvestris. Non reperio aliquem Auctorem authenticum facientem capitulum de utraque, si scribit de una, non scribit de alia, hæc ille. Pandectarius autem aliter sentit, nam 2 capite scribit alterum de boragine in quo allegat Dioscoridem, alterum de buglossa in quo citat Serapionem & ejusdem Dioscoridis auctoritate de buglossa loquentem. Montagnana vero in quodam consilio scribit hæc verba : Borago autem non placet, quia planta multum ventosabilis, & ventosativa, quod ostenditur propter multitudinem eructuationum quas efficit, & licet ponatur temperata, quia est species buglossæ qua tempe-

rata eſt; de ea parum ab auctoribus ſcribitur, & plura de ea creduntur, quam ratione, & auctoritate verificari poſſint : Avicenna tamen de ea nihil dixit. Vide quanta ſit iſtorum Auctorum diſcordia, alter dicit nullum Auctorem de utraque, ſcilicet de boragine & de bugloſſa, loqui; alter ſuper ambabus herbis citat Dioſcoridem ; alter facit bugloſſam ſpeciem boraginis ſylveſtris; alter boraginem bugloſſæ, tanquam generi, ſubjicit. Avicenna quoque 2 can. capite de lingua bovis notat ſui temporis Medicos, quod non vera bugloſſa uterentur, ſed alia quæ non habet eaſdem utilitates ; quare in tanta Medicorum tum Latinorum, tum etiam Arabum de herba bugloſſa controverſia, quid mihi videatur aperiam. Primum illud pro confeſſo habetur, bugloſſam Græco interpretamento linguæ bovis aſſimilari : duæ autem ſunt herbæ linguæ bubulæ, atque ideo etiam invicem ſimiles, altera à nobis lingua bovis, altera borago nominatæ, ſed duæ quoque herbæ itidem linguæ bubulæ. Bugloſſa autem apud Avicennam, eſt ea ſanè herba quam nos vulgo boraginem nominamus.

Nunc cicerbitæ quæſtionem rangamus. Profectò ità ſonchum deſcripſit Dioſcorides, ut dubitari non poſſit ſonchum apud Græcos eſſe herbam quam Latini cicerbitam vocant; ſed præterea Plinius una cum Dioſcoride, tot hujus herbæ uſus enumerat, ut me aliquando pudeat noſtri temporis Medicorum qui tantum illa remedia probant, quæ magno impendio parantur, quibus meliora aliquando pauperrimus quiſque cœnat, ferè tamen, de quo nos etiam magis pudere oporteat, non Indicas atque Arabicas, ſive externi orbis quærunt medicinas, ſed quas Natura illa omnium rerum parens vulgo etiam expoſuit. Muſtella pugnatura contra ſerpentes paſtu ſe cicerbitæ munit, atque inter pugnandum eodem crebro repetito ſe refovet. Compertum eſt hoc, apud multos qui dimicationem confertam videre. Nos theriacam contra venena ab Ægyptiis magno emimus pretio, cujus potiſſimam partem, quam baſim vocamus, illi adhuc ignorant, præter multa alia ſimplicia medicamenta, ad eamdem compoſitionem neceſſaria, quæ noſtra hac ætate, neque à Græcis, neque à Latinis,

nedum à Barbaris cognoſcuntur, quorum etiam vel unius defectus, ſi Galeno Medicorum Principi credimus, poteſt totam compoſitionem corrumpere. Naturæ vero opera ſunt abſolutiora, inventu faciliora, niſi ob hoc ipſum vileſcerent. Sonchum autem, ſive cicerbiram cujus occaſione hæc interpoſuimus, magnam habere contra venena, ſed præcipue ſcorpionum, efficaciam, teſtantur tum Dioſcorides apud Græcos, tum etiam Plinius apud nos, & ex recentioribus Conciliator qui lactucellam, per quam, puto, cicerbitam intelligit (quæ ut etiam inquit Plinius, lactucæ ſimilis eſt, niſi ſpinoſa foret), ſeptem aliis herbis annumerat, quæ theriacæ æqualem habent contra venena proprietatem. Atque inſuper Avicenna apud Arabes, ſi modo cicerbita ſit herba, quam ille 2 can. taraxacon nominat, ut ſcio pleroſque ætate noſtra Medicos celeberrimos, ac præſertim Gerardum Veronenſem exiſtimaſſe. Nolo enim ego nunc de iſto decernere, quod dudum opus ad hoc ipſum deſtinavi, ad declarandum ſcilicet nomina Arabica, quæ 2 can. apud Avicennam ſcripta inveniuntur, quod idem opus forte maturius abſolvemus, quando te hoc quoque non minus cupere, quam illa quæ nuper à nobis explanata ſunt, intelleximus, ſi tamen tuam in hac re aviditatem pluſculum fuerimus commorati, æquo animo patieris, futurum illud maxime ſperans, quod tibi in hac epiſtola contigit, ſi modo epiſtolæ nomen meretur, quæ ferè ad voluminis magnitudinem excrevit, quæ quanto tardius, tanto majori cum fœnore eſt tibi reddita. Reliquum eſt, quo tuis quæſitis omni ex parte ſatisfiat, ut etiam de cicercia reſpondeam. Hoc leguminis genus vulgo cicerciam nominatum, à Plinio, lib. 18, cap. 12, cicercula nuncupatur; à Theophraſto autem lib. 9 de plantis, & à Galeno eumdem Theophraſtum allegante lib. 2 de alimentis lathiron, hoc enim verbum Theodorus Græce Latineque doctiſſimus in tranſlatione Theophraſti cicerculam interpretatur.

Vale, Ferrariæ, Calendis Februariis. M. D. IV.

INDEX

OPERIS LEONICENI VINCENTINI.

ERRATUM

N. B. Page 348, ligne 3, l'alinea doit commencer au mot *pari* & non au mot *Latini.*



HISTOIRE NATURELLE
DE PLINE,
LIVRE VINGT-HUITIEME.



C. PLINII SECUNDI
NATURALIS HISTORIÆ
LIBER VIGESIMUS OCTAVUS.

Continentur medicinæ ex animalibus.

De medicinis ex animalibus.

CAPUT I. DICTÆ erant omnium rerum naturæ, inter cœlum ac terram nascentium, restabantque quæ ex ipsa tellure fodiuntur, si non herbarum ac fruticum tractata remedia auferrent transversos, ex ipsis animalibus quæ sanantur, reperta majore medicina. Qui ergo dixerimus herbas, & florum ima-

(1) Note de M. Guettard. » Dans tout ce livre, Pline examine les différents médicaments que l'on employoit de son tems, & qu'on tiroit des animaux même pour lesquels les médicaments ont été inventés. De ces recettes, les unes sont employées extérieurement, les autres sont d'un usage intérieur. On en doit distinguer deux classes les unes sont des remedes purement naturels, les autres consistent en partie, ou totalement en pratiques superstitieuses. C'est principalement à l'égard de celles-ci, que Pline exerce sa critique ; à l'égard des autres, cet Auteur ne joue, pour ainsi dire, que le rôle d'Historien ; & pour faire un examen sérieux de ces médicaments, on peut les subdiviser en trois classes différentes. Les uns sont tirés des parties solides des animaux, les autres sont tirés de leurs humeurs, les derniers enfin consistent dans l'usage des animaux vivants & entiers.



HISTOIRE NATURELLE DE PLINE,

LIVRE VINGT-HUITIEME,

Qui contient les remedes tirés des animaux.

Des remedes tirés des animaux.

APRÈS avoir parlé de la Nature de toutes les choses qui sont produites entre le Ciel & la superficie terrestre, il sembleroit ne nous rester plus qu'à exposer les qualités des substances fossiles & minérales, tirées du sein même de la terre, si l'objet important que nous rencontrons sur notre route ne nous autorisoit à nous en écarter, &, si après avoir traité des vertus des simples & des arbres, il n'étoit naturel de nous arrêter aux propriétés plus efficaces encore des remedes tirés des animaux (1); car les êtres

L'expérience & la raison nous engagent à employer encore aujourd'hui dans la guérison des maladies, différentes substances animales. Ainsi ce que nous avons à faire pour commenter utilement ce livre, c'est d'examiner jusqu'à quel point l'expérience & la raison sont d'accord avec les relations de Pline. Il seroit sans doute utile qu'on pût apprécier avec justesse ce que la raison a de conforme avec l'expérience; mais comme il est souvent impossible d'en venir à ce point de perfection dans tout ce qui regarde les faits de la physique, quand la théorie nous manquera, nous en appellerons du moins à l'expérience & au témoignage des Auteurs qui ont prati-

gines, ac pleraque inventu rara ac difficilia, iidem tacebimus quid in ipso homine prosit homini, cæteraque genera remediorum inter nos viventia? Cum præsertim, nisi carenti doloribus morbisque, vita ipsa pœna fiat. Minime vero: omnemque insumemus operam, licet fastidii periculum urgeat: quando ita decretum est, minorem gratiæ,

qué cet art avec un succès constant, ce qui paroît avoir manqué à Pline, dans bien des occasions.

Je crois qu'il n'est pas hors de propos, avant que d'entrer en matiere, de proposer quelques réflexions générales sur le regne animal, qui servent pour ainsi dire d'introduction pour comprendre facilement jusqu'à quel point ce que Pline raconte peut s'accorder avec la vérité.

De tous les corps de la nature, ceux qui ont plus de rapport dans la composition & la structure de leurs organes, & les principes dont ils sont composés, avec les animaux, ce sont les animaux mêmes. Et quoiqu'il y ait une différence infinie entre chaque espece d'animaux, & même entre les individus de chaque espece, cependant l'analyse chymique découvre ordinairement peu de différence entre leurs différents produits. A l'exception de certains insectes qui donnent un acide volatil bien distinct, la différence qui se trouve entre les animaux, démontrée par l'analyse, est dans la quantité plus ou moins grande de sel alkali volatil, & la différence de cette quantité dépend encore de tant de circonstances particulieres dans lesquelles peut se trouver tel ou tel individu, qu'on n'en peut guere déduire de conclusions générales pour toute l'espece.

Cependant, quoique la plus grande partie des animaux fournisse les mêmes produits, ils ont entre eux des différences bien réelles. Outre la différence spécifique & particuliere à chaque espece qu'elle reçoit de son essence, & qui caractérise la trempe des fibres & le caractere des humeurs, il est encore d'autres différences qui dépendent d'une vie plus ou moins exercée, de l'espece de nourriture dont se servent les animaux, & de différentes autres circonstances dont on peut apprécier les effets par les lumieres de la physique.

Par le moyen de ces lumieres, on peut découvrir jusqu'à un certain point, quels sont les animaux qui peuvent entrer dans la classe des aliments, quels sont ceux qui sont uniquement des médicaments. Les animaux doivent la source de leur nourriture aux végétaux; mais les carnivores dévorent ceux qui se nourrissent de substances végétales, & donnent un nouveau degré d'atténuation à ce mucilage. On voit donc qu'il faut d'abord en examinant les principes qui entrent dans la structure des animaux, constituer deux ordres d'animaux; car si les herbivores & les granivores servent

animés,

animés, pour être soumis aux remedes, n'en fournissent pas moins eux-mêmes la matiere de nombre de médicaments. Si donc nous n'avons point négligé de décrire des herbes, des fleurs, en un mot, une multitude de plantes la plupart exotiques, rares & difficiles à trouver, nous tairons-nous sur les ressources qu'il y a dans l'homme même pour l'homme, & sur tant de remedes vivants que nous avons sous les yeux? non; & puisque la vie n'est qu'un tourment si elle n'est exempte de douleurs & de maladies, nous mettrons ici tous nos soins, au hasard de tous les dégoûts que nous pourrons éprouver ou faire essuyer aux autres, notre objet étant toujours d'avoir moins d'égard à l'agrément qu'à

de nourriture aux carnivores, la proposition n'est pas réciproque pour ceux-ci : donc ils ne peuvent plus rentrer, pour ces animaux, que dans la classe des médicaments. L'homme est situé, pour ainsi dire, au milieu de ces deux classes, également carnivore, & fait pour se nourrir des végétaux ; il semble pourtant que ces derniers soient sa nourriture la plus naturelle : mais il n'est pas assez fort pour se nourrir des mucilages grossiers de certains végétaux, & les principes de son corps ne sont pas assez atténués pour que les animaux carnivores lui servent de nourriture unique & universelle. Mais, indépendamment des principes qui constituent l'animal, il paroît démontré que chaque animal a une espece d'esprit recteur particulier, qui dépend du développement & de la combinaison que son corps est capable de procurer aux parties les plus subtiles de la matiere qu'il reçoit & qu'il change en sa propre substance, qui paroît, comme les esprits recteurs des végétaux, inaltérable aux agents chymiques, altérable à la seule putréfaction. Cette partie volatile est un des agents les plus puissants par lesquels les animaux puissent produire un changement réciproque sur leur corps. De là ces horreurs d'especes d'animaux les unes pour les autres, dont l'histoire naturelle, cultivée avec un peu de soin, a retranché une grande partie, mais dont les exemples sont cependant indubitables dans la nature.

